OPERE

DI MONSIGNOR

JACOPO-BENIGNO BOSSUET

VESCOVO DI MEAUX.

TOMO LII.

CONTRO
GLI ERRORI
DE' QUIETISTI
E DE' FALSI MISTICI
OPUSCOLI

DI MONSIGNOR

JACOPO-BENIGNO BOSSUET

VESCOVO DI MEAUX.

TOMO III.

VENEZIA

MDCCC.

PRESSO PIETRO ZERLETTI.

CON LICENZA, E PRIVILEGIO.

DE NOVA QUÆSTIONE TRACTATUS TRES.

I. MYSTICI IN TUTO.
II. SCHOLA IN TUTO.
III. QUIETISMUS REDIVIVUS.

ADMONITIO.

Omnes quidem quotquot hodiernæ controversiæ rationem intelligunt, facile sentiunt, librum de doctrina decretisque sanctorum, a nemine defendi posse. Sed quidam ut justam legitimamque censuram, sive prohibeant, sive remorentur, duo tentant: primum; quæstiones quæstionibus, vera falsis, certa dubiis involvunt, ut omnium oculos a vero statu quæstionis avertant: deinde innumerabilibus scriptis quacumque diffusis, mysticorum, ac scholæ auctoritatem obtendunt. Hujus rei gratia demonstrandum suscipimus singulatim, & pios mysticos, & scholam in tuto a nobis esse: ab adversariis vero nedum in tuto sint, palam oppugnari & subrui. Quibus, & ad veram quæstionem animos revocamus, & pessimæ doctrinæ (episcopos enim & theologos candide loqui oportet) omnem speciem probabilitatis ademtam credimus. Subjungimus tertium tractatum de Quietismo redivivo, quo speramus futurum, bene aspirante Deo, ut renascentis mali capita penitus recidantur.

MYSTICI
IN TUTO,
SIVE
De S. Theresia, de B. Joanne a Cruce, aliisque piis mysticis vindicandis.

Quidam viri boni piique vereri mihi videntur, ne sub nomine illustrissimi Cameracensis Archiepiscopi, s. Theresia, B. Joannes a Cruce, aliique bonæ notæ mystici vapulent: quos equidem miror, non vereri potius ne illi succumbant, si ejus præsulis, quod absit, prævaleat auctoritas: cum hic illos directa fronte veluti collato pede impugnet; nec tantum loci locis, sententiæ sententiis, sed etiam doctrina doctrinæ tota toti adversetur. Præsul autem illis duplicem infert contumeliam: primum, quod eos palam oppugnat: alterum, quod in suas partes invitos trahit: quæ duo erunt capita hujus scriptionis. Rem autem conficio non ratiociniis, sed verbis utrimque prolatis atque collatis; nulla elegantiæ, sed tantum perspicuitatis habita ratione, quo credibilior nostra futura est oratio, spretis in locorum versione verborum ornamentis. Ac ne tempus promissis teram, en paucissimis rem totam.

PARS

PARS PRIMA

Mystici palam oppugnati a Domino Cameracensi.

ARTICULUS PRIMUS.

De suspensis animi facultatibus sive potentiis per impedimenta divina.

CAPUT PRIMUM.

S. Theresiæ oratio quietis & unionis, suspenso intellectu.

1. Cum hic vel maxime agatur de Oratione quietis, cui apud s. Theresiam orationem unionis esse conjunctam neminem fugit, en sanctæ virginis verba de suspensis in eo genere orationis animi facultatibus, sive potentiis.

2. In vita sua cap. 4. disertis verbis ait: *in ea oratione non posse agere intellectum*: quod revocat unice *ad discurrendi actus*. Ibidem cap. 9. in eo statu inquit *non posse se se discurrere per intellectum*: alioqui absurdissimum esset, in contemplatione per intellectum nihil agi posse.

Vie de sainte Therese ch. 4. p. 11. 14.

Ibid. ch. 9. p. 40.

3. Cap. deinde undecimo ostendere aggreditur quid sit illa oratio, proposito celebri exemplo irrigandi horti quatuor modis; sive adhibitis brachiis ad hauriendam aquam ex puteo, sive rotæ ope, sive per leves aquæ ductus; quibus omnibus inest propria industria & labor, postremo per pluviam: *huc usque*, inquit, *ad alias orationes pervenire possumus nostro*

Ibid. ch. 11. p. 50.

labore, posito auxilio Dei, sine quo perspicuum est, ne bonam quidem cogitationem ullam inesse posse nobis. Hæc illa; ut cum postea totam rem refert ad Dei auxilium, intelligamus loqui de auxilio quodam exstraordinario, sine quo hæc oratio fieri nullo modo possit.

Chem. de perf. ch. 25. p. 50.

4. Itaque in via perfectionis sic habet cap. 25. *Possumus*, inquit, *aliquid ex nobismetipsis cum divino auxilio in his duabus orationibus mentali & vocali: sed in contemplatione*, quæ est ipsissima oratio quietis, aut unionis, *nihil omnino possumus: Dominus hic agit solus: ejus unius est opus: & quia istud opus supra naturam est, naturæ in ea nulla pars est*.

Vie, ch. 12. p. 62. 63.

5. Rursus in vita sua cap. 12. de unione quietis, de qua tot & tanta mystici docuere, & quam Sancta ideo vocat *Theologiam mysticam: hic*, inquit, *intellectus cessat, quia Deus hunc suspendit: quod*, inquit, *nemo per sese tentare debet, neque conari ut intellectum suspendat; sed cum Deus suspendit illum, ejusque functiones tenet, sistit; tunc plura sine discursu ac ratiocinio intelligit*. En suspensionem intellectus, quoad actum discurrendi, eamque attributam non contemplandi habitui, sed peculiari cuidam operationi divinæ: agit autem procul dubio de oratione habituali & certæ regulæ subdita. Antequam vero ulterius pergamus, admonemus, nos hic sequi accuratissimam habitam versionem viri illustrissimi Andillii, cujus nota probitas & eruditio: huic ergo inhæremus, eo quod non satis calleamus nobilissimam linguam Hispanicam, qua sancta virgo præstat.

CA-

CAPUT II.

Eam suspensionem non esse perpetuam, & esse supernaturalem: quo sensu.

6. Ibidem cap. 14. ait: *intellectum non aliter agere, quam certis intervallis, tamque sublimem esse eam orationem, ut neque precibus, neque laboribus, neque pœnitentiis comparari possit: oportet ut eam det Deus:* diversissimis scilicet viis ac alias orationes: unde sancta virgo passim & in omnibus paginis *supernaturalem* appellat, non quod aliæ orationes non sint supernaturales, ex principio gratiæ supernaturalis ortæ & ad supernaturale objectum elevatæ; sed quod supra hanc supernaturalitatem omnem ista oratio habeat, ut sit *supernaturalis* secundum istam agendi rationem, sublato scilicet discursu, quem in reliquis actionibus, adeoque in vulgari oratione adhibere solemus. Quanta autem hic interveniat rerum & quam subita mutatio, facile intelligi potest ex iis quæ discursum comitari & consequi solent: hæc autem omnia subtrahuntur. Hæc illa. Jam de *supernaturalis* appellatione, cum ea omnia plena sint apud Theresiam, hic indicamus tantum ex vita cap. 39. ex via perfectionis cap. 25. 31. &c., aliis innumerabilibus locis prætermissis.

Ibid. ch. 14. p. 74.

Vie, ch. 10. Chem. de perf. ch. 25. 31. pag. 263. 590. 610.

CAPUT III.

Item de suspensione per intervalla tantum, & de oratione vocali, aliisque suspensionibus.

Vie, ch. 15. p. 83.

7. In eadem oratione quæ est quietudinis, ex cap. 15. *utendum aliquibus precationibus vocalibus, si fieri potest*; ubi clare supponit non id semper fieri posse: tum in ea oratione *Deum omnia agere, eamque esse velut somnum trium facultatum*, sive *potentiarum*, quæ tamen non sunt *penitus consopitæ: ea enim fiunt certis gradibus, & tamen facultates ibi sunt incapaces applicandi se alteri rei quam Deo*, ibid. cap. 16. *sunt agendi incapaces*, cap. 18. privatim, *ligata est memoria*, cap. 17. *omnis sensus amittitur*, ibid. *sed tempus, ubi anima cujuscumque rei immaginandæ est incapax, est brevissimum: neque hinc aliter quam sensim sine sensu revocatur. Sat tamen longo tempore anima remanet stupida velut jumentum: interdum potentiæ ita suspensæ remanent, ut quid agant, nesciant*, ibid. Hæc autem oratio a Sancta recensetur inter eas quæ multis communes sunt, & certæ cuidam regulæ subsint.

Ibid. Ch. 16. p. 86. 87. — Ibid. 18. p. 95. — Ibid. p. 91. — Ibid. p. 98. — Ibid. p. 99.

CAPUT IV.

De eodem; ac de obice amovendo.

Vie, ch. 20. p. 115.

8. Sancta iterum inculcat cap. 20. *transformationem illam, quæ facultates privat omnibus functionibus esse brevissimam: esse tamen alias diuturniores impotentias*: quas inter experimento comprobari,

spi-

spiritum spirare ibi vult: neque animam intelligere quidquam, nisi id, in illis nullam suam *esse partem*, ibid. *Ibid. p. 117.*

9. *Interea*, inquit, *fit in anima quædam abstractio sive separatio*, (*Gallice*, detachement) *ad quam nihil confert, quoniam Domino placet animam subito elevare*, ibid cap. 21. & cap. 24. *cum orationem cœpisset a repræsentatione cujusdam mysterii passionis Christi; tum vero si Dominus elevaret mentem ad sublimius aliquid, nihil se obsistere, ac Deo duci sese permittere*. Quo loco ostendit excelsissimis illis operationibus, quamquam illæ per sese elici non possunt, interdum tamen obicem aliquem poni posse: qua de re infra agemus. *Vie, ch. 21. p. 121.* *Ibid. ch. 24. p. 142.*

CAPUT V.

De orandi impotentia, & gratiis communibus.

10. Hæc quidem sufficerent: & tamen mirifica virgo id addit aliquando contingere, *cum est in solitudine, ut se esse comperiat in impotentia cujusvis efformandæ cogitationis de Deo, aut faciendæ orationis*, cap. 27. Quo loco ostendit hanc impotentiam spectare ad orationis statum & habitum. *Vie, ch. 27. p. 180.*

11. Subdit hæc postea: *Deus imprimit menti quamdam sui reverentiam longe diversam ab ea, quam per sese anima habere posset*, ibid. cap. 38. Intellige per sese cum gratiis communibus & ordinariis, ut ex antecedentibus constat, n. 3. 4. *Vie, ch. 38. p. 251.*

CA-

CAPUT VI.

De interveniente extasi, & cursu orationis consueto & habituali.

12. Sane in oratione sanctæ virginis intervenire solebat raptus sive extasis; qua de re infra agimus: interim hic loquitur de oratione ordinata, & ut ajunt *regulata*, consueta scilicet & habituali, in qua anima monitis, experimentis, documentis, & aliorum & suis adjuvari potest ad repellendum obicem; ut patet ex via perfectionis, cap. 25. & 31. & ex antecedentibus.

Chem. de perf. ch 25. & 31. par. 591. 611. &c.

13. Quam in rem legendum est istud, in ipsis primæ relationis initiis: *hæc est ratio, hoc genus meæ orationis, eo tempore quo scribo: rarissime mihi contingit ut possim discurrere per intellectum:* (inter orandum scilicet; qua de re hic agitur) *quia statim atque incipio meipsam recolligere, ingredior in quietudinem & raptum; atque ideo non possum uti sensibus.* Quid sit autem ille raptus, alibi exsequemur: hic tantum id volumus, orationem quietis sanctæ virginí & aliis plerisque familiarem, in suspensione discursus, atque ex eo sensitivarum facultatum collocari.

Relat. p. 283.

CAPUT VII.

De rapidis motibus, eorumque momentis.

14. Quam sit supernaturalis ea oratio, sensu supradicto (n. 6.) docent rapidi motus, ejusque momenta

ta brevissima, de quibus sancta virgo ait: *orationem unionis vix durare per spatium dicendi* Ave Maria: vitæ cap. 4. Item cap. 18. *ea suspensio omnium facultatum, sive potentiarum, mea quidem sententia, non durat diu, multumque esse, si ad dimidiam horam protenditur*. Quo loco sua experimenta tradit: nobis vero sufficit, eos actus esse rapidos & celeres: quod sanctus quoque Augustinus, Gregorius, Bernardus, Thomas, aliique semper inculcant. Argumento autem sunt divinæ extraordinariæ operationis illa momenta brevissima; de quibus etiam vide supra (cap. 2. 3. & 4. n. 6. 7. & 8.)

Vie, ch. 4. p. 14.

Ibid. ch. 14. p. 98.

CAPUT VIII.

B. Joannis a Cruce conformis sententia.

15. Beatus Joannes a Cruce is est, qui de contemplatione, sive oratione passiva, hoc est quietis, sive simplicis intuitus, quem *amatorium* seu mavis *amorosum* vocat, accuratissime scripsit. Ait autem in primis, eam vel certissimam notam transeundi a statu meditationis ad contemplationem, *cum quis animadvertit se non posse meditari, neque operari per imaginationem*: qua voce excluditur, secundum stylum auctoris, ipsa operatio discursiva; quæ ex decretis scholæ Peripateticæ, quam post S. Thomam sequitur, fieri non potest, nisi per conversionem ad phantasmata: qua de re videndum in 1. p. q. 84. art. 7. & q. 85. a. 1.

Mont. Carm. liv. 2. ch. 11. p. 78.

16. Id aut exponens subdit: *Quamdiu potest quis discurrere per meditationem, non debet eam omittere.*

Ibid.

Rur-

Ibid. ch. 14. p. 74. Rursus ibid. cap. 14. deserendam meditationem, *cum quis non potest discurrere*, eo quod anima jam recepe- rit *emolumentum omne, quod capere poterat meditatio- ne & discursu: cujus rei signum est, non posse di- scurrere, neque meditari, ut solebat.*

17. Quid sit autem illud *non posse discurrere* sive *meditari*, in libro obscuræ noctis luculentius exponit his verbis: *non esse deserendam meditationem, nisi cum ea jam uti quis non potest, & tunc tantum cum Dominus id impedit.* Quo loco docet *tunc non debere animam esse sollicitam quod amittat pote- tiarum operationes*, quia tunc dat locum sublimiori operationi ex contemplatione ortæ: quæ contempla- tio *nihil sit aliud quam infusio Dei secreta, paci- fica, & amorosa.*

Obs. nuit. liv. 1. ch. 10. p. 257.

Ibid. ch. 10. p. 255.

18. Quale autem sit illud divinum impedimentum, ex Philosopho & Dionysio exponit his verbis, eam scilicet fieri non subtractione tantum, sed ex eo quod *ingenti supernaturali luce vincitur vis naturalis in- tellectiva, privaturque ratione intelligendi ordina- ria & vulgari*; quæ est ipse discursus, sive medi- tatio, ex antecedentibus.

Ibid. ch. 5. p. 276. 277.

19. Hæc autem operatio tam sublimis est & ex- traordinaria, ut *anima sibi videatur ferri seu gra- di extra se, totumque illud velut incantamenti loco habeat, vel stuporis cujusdam: subitque admiratio earum rerum quas videt & audit, adeo apparent alienæ, ac velut ex longinquo venientes; adeoque hæc operatio abstrahit animam ab ordinariis sensibus, totaque communi agendi ratione.*

Obs. nuit. liv. 2. ch. 8. p. 200.

20. Quocirca anima *in illo statu actuali non po-* *test*

Vive flame; Cant

test hos actus facere, nisi speciali & particulari impulsu spiritus sancti: quo fit, ut illi actus divini sint, quatenus anima ad hanc singularitatem movetur. Claret ergo, animam non communi justis, sed speciali motione agi: qua sine hos singulares ac divinos actus elicere non possit: *adeo ut, quantumcumque sibi anima ipsa vim faciat ut oret pro aliquo, non id tamen fiat*, deficiente scilicet *ea motione, qua Deus singulari modo movet animæ facultates.*

1. vers. 1. p. 100.

Mont. du Carm. liv. 3. ch. 1. p. 152.

21. Ex his efficitur vera impotentia in animabus ad eam orationem actis: neque obest, quod illa impotentia *ad habitus gustusque defectum referatur:* simul enim intervenit illud impedimentum, quod vidimus ex parte ipsius Dei; intervenit etiam illa operatio, quam *Deus passive infundit, ita ut nec illam impedire, nec etiam acquirere anima illa possit*: adeo absoluta est hæc via à communibus gratiis; unde etiam passim extraordinaria ac supernaturalis dicitur, eo sensu quem diximus, n. 6. & seq.

Ibid. liv. 2. ch. 16. p. 85.

Carm. liv. 2. ch. 10. & 12. pag. 85. 147. &c.

22. Cæterum impedimenta illa, illas impotentias, ad contemplationis actualis tempus dumtaxat revocandas, docet vir Beatus ipsissimis verbis, toto libro passim, maxime vero ubi ait: *toto illo tempore quo Deus largitur hunc simplicem ac generalem & amatorium intuitum: ceterum extra illud tempus adhiberi oportere bonus meditationes, eo modo quo anima intellexerit magis esse proficuas.* Hæc ille. Quibus omnibus duo constabilita remanent: primum, dari impedimentum illud divinum, quo anima à vulgari agendi ratione, hoc est à discursiva operatione,

Ibid. ch. 12. p. 147.

ne, prohibetur: alterum, ut impedimentum illud ad tempus contemplandi pertineat tantum: quæ si quis nostri instar auctoris ad gratias communes revocare nititur, eum in luce meridiana cæcutire certum est. Hæc exscribo ex versione accuratissima P. Cypriani Carmelitæ discalceati, anni 1652. cui versio latina apprime congruit.

CAPUT IX.

Testimonium Nicolai a Jesu Maria, Lectoris in Theologia in Collegio Salamanticensi.

23. Is est Joannis a Cruce eruditus interpres, qui allegato beati viri eo loco quem vidimus discurrendi impotentia, quo signo a meditatione ad contemplationem transeamus, (c. sup. n. 15. 16. 17.) ita præclarum auctorem exponit: *altera elevatio mentis sive contemplatio supernaturalis ita vocitata, quia est supra omnem humanum agendi modum; cum non possit acquiri proprio conatu, ac diligentia, sive industria, etiam cum communibus auxiliis gratiæ, sed a Deo solo detur & infundatur pura ejus misericordia: hinc fit, ut sancti Patres ad eam comparandam minime homines adhortentur.*

Phrases myst. 2. p. ch. 3. §. 1. p. 119. 120. edit de Paris 1652.

24. Hæc igitur prima pars est doctrinæ Beati viri Joannis a Cruce: secunda vero pars de brevibus momentis adstruitur auctoritate Cassiani, Gregorii Magni, S. Thomæ, aliorumque doctorum: quæ doctrina rursus duabus partibus constat; quarum altera est, ut nonnisi tempore orationis hæc impotentia va-

Ibid. ch. 3. §. 8. p. 143. 144.

Ibid. 145. 146.

valeat: altera, ut paucis momentis duret: *non omni tempore*, inquit, *nec diu*.

25. Jam quo sensu illa impotentia supernaturalis habeatur, idem auctor eo constare docet: quod auferatur ab anima *connaturalis ac discursiva operatio*: cesset etiam opus *proprii laboris*, *industriæ*, *& conatus*: cessent denique *propriæ operationes*, *hoc est illæ*, *quæ exercentur proprio labore*, *industria*, *acquisitione*, *discursu*, *& modo connaturali*: quæ omnia cum S. Theresia, ac beato illo viro mirifice concinunt, atque in horum beatorum proferendis locis idem auctor totus est.

Ibid. ch. 2. §. 1. p. 107.

Ibid. ch. 4. §. 6. p. 167.

Ibid. ch. 17. p. 250.

CAPUT X.

De impedimentis divinis per modum purgationis, aut perfectissimæ contemplationis: egregia doctrina Beati Joannis a Cruce.

26. Incredibile dictu est, a mysticæ sententiæ professore tot mysticorum, quorum defensor videri velit, testimoniis, experimentisque fultam, non modo contemni sententiam, verum etiam temerariam, immo etiam fanaticam appellari. Hæc autem confirmantur ex præclara doctrina Joannis a Cruce asserentis, talia impedimenta, impotentiasque divinas *evenire animabus aut per viam purgationis & pœnæ*, *aut per viam perfectissimæ contemplationis*: quo loco duobus verbis vir beatus ingentia arcana reseravit. Hæc nos alibi exposuimus; nunc vero id intelligi volumus, parem esse in utroque statu impotentiam: quanta autem in purgationum ac pœna-

Obs. nuit. liv. 1. ch. 10.

Inst. sur les etats d'or liv. 9. n. 19. p. 128.

rum, hoc est probationum, statu reperiatur, hæc verba demonstrant: *In eo purgationis statu animæ tam exigua est potentia, ac illius qui in tenebricoso carcere catenis ferreis ligatus manus & pedes, neque se commovere potest, neque prospicere, aut sentire ullam opem neque ab alto neque ab imo*: en animus quam arcte constrictus, quantoque impedimento tentus: neque ita multo post: *maximo vero dolore afficitur, quod ligatis potentiis, atque affectibus non possit ut antea erigere mentem atque affectum in Deum*, (modo sensibili ac discursivo) *nec precari Deum*, (eo modo quo solebat) *nec interesse divinis magna cum animi attentione* (eo attentionis genere quam sensus ac discursus exprimit, ut patet ex antecedentibus). Vide quam a vero absint, qui negant in oratione passiva, seu quietis ac simplicis intuitus, impedimenta divina, quibus ligentur facultates, affectus, discursivi actus, & eam orationem tam extraordinariam ad gratiam communem omnibus justis, contra mysticæ theologiæ decreta, immo etiam contra sua, ut mox vidimus, revocandam putent.

Obs. nuit. liv. 2. ch. 7. p. 283.

Ibid. l. 8. p. 285.

CAPUT XI.

De S. Francisco Salesio, ac venerabili Matre Joanna Fremyotta Domina de Chantal.

27. S. Franciscus Salesius de divinis impedimentis agit, occasione venerabilis matris Joannæ Fremyottæ, quæ in hanc orationem tracta erat: qua de re cum copiose egerimus, hic pauca dicemus. Primum annotamus locos tam beati Antistitis, quam venera-

Inst. des etats d'or liv. 9. n. 16.

nerabilis viduæ, in quibus illæ impotentiæ memorantur. Verum ante omnia observamus, cum de suis *impotentiis* tam sæpe quereretur a sancto episcopo nusquam esse reprehensam, tamquam sua exaggeraret incommoda aut scrupulos; immo vero rem simpliciter ac proprie intellectam, ut patet ex epistolis: ipsa quoque pari simplicitate ac proprietate verborum, suas *impotentias* ingenue ac sine fuco fatebatur, iisque medebatur *Deo mente conjuncta*, *sine actibus*, inquit, *nam nullum facere possum*.

p. 106. 107. & seq.

Liv. 4. ep. 31.

Liv. 5. ep. 1.

Liv. 7. ep. 23.

Ecrit de la M de Chant. vie, 2. p. ch. 14.

28. Actus autem illos, quos elicere non poterat, fuse exposuimus, docuimusque fuisse vel maxime actus *discursivos*, *quos propriæ industriæ* vocabat, item *meditationis actus*, *quos anima hujus status nullo modo potest elicere:* non tamen semper erat suspensa ab illis actibus, sed tantum *orationis tempore*, ut ibidem sæpe ostendimus. Cæterum ita agebatur, ut Deus persæpe vim operationemque remitteret; piamque feminam sibi relinqueret: quo liquet non id ex habitu provenisse, sed ex singulari divina operatione per momenta, per intervalla, per actus singulos, sive se exerente, sive reprimente, ut explicavimus. Quod ergo D. Cameracensis S. Franciscum Salesium, ejusque spiritualem filiam in ore assidue habet, laudo: quod eorum spernit & sententiam & usum & experientiam, tantus divinorum ac mysticorum experimentorum assertor ipse viderit.

Instr. sur les etats d'or liv. 9. n. 29. 30.

Ecrit de la M de Chant. dem. 4. 1. p. c. 3. 4.

Vie de Chant. 2. part. c. 7.

Ibid. 30. 31. 32. 33.

CAPUT XII.

De P. Baltazare Alvare, & P. Ludovico a Ponte.

29. Duos hic e Societate Jesu egregios proferimus testes, Baltazarem Alvarem Suaresi editorem, & Ludovicum a Ponte ejusdem Baltazaris vitæ scriptorem, summos theologos, ac spirituales viros, a D. Cameracensi sæpe cum laude appellatos. Hanc vitam ex versione Gallicana referam.

Vie du P. Balt. Alv. ab. 2. p. 11.

30. Itaque Ludovicus a Ponte incipit a duplici genere *orationis mentalis*, *quarum altera procedit per viam ordinariam: altera per viam magis extraordinariam paucis communicatam*. Prima autem *maxime pendet a nostra industria*, *promovente gratia*, *sine qua nihil boni cogitare possumus*. En ab ipso principio duplicem gratiam, communem alteram, alteram extraordinariam communicatam paucis, nec ab industria nostra, sed ex vocatione speciali ita pendentem, ut a communi gratia vulgares operationes pendent; quod ipse P. Alvares prodit in ea relatione, quam infra memorabimus.

Inf. n. 32.

Ibid. p. 20.

31. P. autem Alvares *sexdecim totos annos exegit in oratione vulgari per tres vias*, *purgativam*, *illuminativam*, & *unitivam*. Ergo via unitiva, quæ est perfectissimi amoris, ad vulgarem tamen orationem pertinet; ad meditationem scilicet, non ad contemplationem: contra id quod dicit Præsul, qui vitam unitivam ad suum quintum gradum, qui puri est amoris, revocat.

Max. des SS. p. 121. 24.

32. Cer-

32. Certe P. Alvares antequam ad extraordinarium orationis genus vocaretur, exercebat apostolicum illud, *sine intermissione orate*, eaque oratione donatus erat; quin etiam exercebat purum amorem erga Christum in se consideratum. Ergo hæc dona antecedebant *orationem illam quietis, unionis, ac perfectæ tranquillæque contemplationis, ad quam post sexdecim annos laboris evectus est*: quo tempore a Præposito Generali jussus edidit relationem de sua oratione vitæ ejus insertam: adeo hæc extraordinaria, & singulari studio inquirenda habebantur. Ea relatione memorat illum sexdecim annorum laborem, *quibus exactis cum nihil tale cogitaret, cor suum totum immutatum dilatatumque comperit, immisso animi deliquio illi beatorum simillimo*; quod fuit initium vitæ interioris extraordinariæ, quam, inquit, *experiri cœpit a Deo donatam*, nonnisi singulari dono, cum & antecedentem a Deo quoque esse constaret, sed per dona communia.

Vie du P. Balt. p. 22. ch. 5. p. 10. 11. 12.

Ibid. ch. 13. p. 127.

Ibid. p. 118. 119. §. 1.

33. *Hæc igitur oratio*, inquit, *ea in re sita erat, ut coram Deo constituerer per præsentiam quamdam interiorem, & etiam corporaliter mihi datam, in qua permanerem per modum habitus fixi*, sive permanentis: quod plane est extraordinarium; neque hic quidquam commemorat de separatione motivorum proprii commodi, in quo nunc auctor noster quintum suum gradum, id est, perfectionis statum collocat.

Ibid. p. 117.

34. Ad eum statum evectus, arcanas voces plerumque audiebat, *quibus & ad mundi contemtum & ad amorem latum incitabatur, & reprehendebatur*

Ibid. p. 114. 115.

si ab eo orationis genere deflecteret : quæ sane sunt extraordinaria.

P. 117. 118. ch. 14. p. 140. 142 143 144.

35. Sed extraordinarium hujus status *in cessatione discursus*, & ille maxime, & vitæ ejus scriptor reponebat; *per præsentiam Dei singulari dono datam, seclusa propria industria, suspensis* sane, *sed per certa tantum intervalla potentiis*, quæ ipsissima est *oratio quietis & recollectionis, sive silentii*, in qua, teste Dionysio, animus *patitur divina*, ad quæ ex sua industria nihil confert.

36. Hic autem quatuor observatu digna. Primum, quod inter hujus orationis fructus numquam commemorat separationem illam a proprio commodo. Alterum, eam orationem in cessatione discursus constitutam. Tertium, cessationem illam non ex habitu, sed ex singulari divina operatione profluere, & inter ea dona constitui, quæ nonnisi *gratia, privilegio, vocatione speciali, quæ non sit omnium*, nec *propria industria & communibus gratiis acquiri & comparari possit*. Quartum, ibi animam pati divina, quod etiam S. Ignatio parenti suo contigisse narrat, ejusque rei gratia a summo Pontifice necessario impetratum, ut a Breviarii precibus immunis esset, propter extraordinariam illam vim qua victus ac subactus, ad orationes vocales prosilire vetaretur.

Ibid. ch. 15 p. p. 155. 157. ch. 40. p. 453. 458. &c.

Ibid. p. 117. 118. &c.

37. Solebat autem P. Alvares dicere, cum Deus *discursum auferret*, tunc signum esse datum, *Deum velle esse dominum* singulari illa & supra discursum omnem operatione quam vidimus: quod signum a B. quoque viro Joanne a Cruce datum legimus.

Ibid. p. 159.

Sup. n. 15. 16. & seq. Ibid. 145. 140. 163. 166. 167.

38. Nec minus observatu dignum P. Ludovici de Pon-

Ponte pronuntiatum illud, non esse mirandum si tunc animæ contingant *extases*, *scientia infusa*, aliaque extraordinaria: quod & ipse de se P. Alvares in sua relatione memorabat, visionesque imaginarias & intellectuales, volatusque mentis, ut consueta referebat.

39. Denique ante omnia observatu dignissimum istud a P. Alvare singulari quodam edito sermone memoratum adversus illuminatos, ubi eorum *reprehendit errores, quod negarent sine oratione mentali posse quemquam esse perfectum, neque ad id sufficere orationem vocalem:* non autem perfectos esse volebat sine amore puro: ergo in amore puro orationem, quæ ad perfectionem duceret minime collocabat; quo vel uno a D. Cameracensi in immensum distat.

Ibid. ch. 9. 31. 35. 36.

CAPUT XIII.

De Gersone, & Jacobo Alvare Paz, aliisque recensentibus orationem quietis inter gratias gratis datas.

40. Gersonis quidem orationem quietis, sive contemplationem, ad gratias gratis datas diserte referentis locum sæpe adduximus ex doctissimo libello cui titulus: *Elucidatio scholastica theologiæ mysticæ*. Jacobi autem Alvaris Paz hæc verba sunt: *orationem simplicis intuitus desiderare possumus, sed conatu & industria nostra habere non possumus; est enim donum vere supernaturale, sicut raptus & extasis & alia ejusmodi*: quo loco non indicat eam ora-

Consid. 7.

Tom. 3. de perf. liv. 5. app. 2. cap. 9. p. 1291.

tionem esse extasim, aut raptum proprie dictum, sed tantum ejus donum tam singulare his donis esse simillimum. Concinunt mystici omnes, Rusbrokius, Taullerus, inter recentiores ipse Thomas a Jesu; quibus omnibus hæc oratio infusa & supernaturalis est illo stricto & singulari sensu, quem sæpe diximus; hoc est extraordinaria, & a communibus gratiis absoluta.

CAPUT XIV.

Primum Corollarium: quod falsum sit, in ea oratione perfectionem collocandam, & quod sine ea comparari non possit ex S. Salesio ac S. Theresia.

Inst. sur les etat d' or liv. 9. n. 11. 12. p. 161. 354. S. Fr. de Sales v. 2. ep. 21.

41. S. Francisci Salesii doctrinam & verba retulimus, & ille quidem jam episcopus apostolica caritate præditus, ad summum perfectionis gradum pervenerat, licet orationem methodicam ac meditativam sive discursivam necdum prætergressus esset, ac superiorem gradum nequidem cognosceret, & præclare secum agi putaret cum solatiis, atque affectibus inhærebat. Denique clara voce testabatur sæpe *eos qui per vim & ipso rationis apice* divinæ se voluntati conjungerent, antecellere *aliis qui illa quietudine* & extraordinariis motibus traherentur: atqui absurdum esset perfectiores esse posse qui minus casto puroque amore tenerentur: ergo illa quietudo non est in puro perfectoque amore statuenda.

Liv. 7. ep. 21.

Entret. 2.

Chast. de l' ame o. dem. ch. 9. p. 798.

42. Idem sentiebat s. Theresia, cum diceret: *non pendere perfectionem ab illis gratiis extraordinariis, cum multæ sanctæ animæ numquam eas accepe-*

ceperint; multæ acceperint, quæ sanctæ non fuerunt; immo vero qui laboribus acquisivere virtutes, meritis esse potiores; quod apprime cum B. Salesio congruit.

43. Rursus eadem sancta virgo memorabat *sibi notos esse, quos Deus ejusmodi gratiis dignaretur, quibus carere mallent, si id in sua potestate relinqueretur;* quod profecto non dicerent de puro amore, quo carere velle est impium: longo ergo discrimine hæc habebant.

Ibid.

44. Item asserit ad summam perfectionem pervenisse quamdam, quæ nedum orationes extraordinarias assecuta esset, ex oratione vocali numquam excessisset: quod ex P. Baltazaris Alvaris ore mox accepimus (n. 39.). Sic pro indubitato manet apud sanctos, orationes extraordinarias, de quibus diximus, in puro amore, quæ ipsa perfectio est, non posse constitui.

Chemin de la perf. ch. 1. 17.

CAPUT XV.

Alterum Corollarium: quod justificationis gratia ab his orationis donis separetur: B. Theresiæ & P. Joannis a Jesu testimonium.

45. Quin s. Theresia ultra progreditur, clarisque verbis asserit, non modo meriti magnitudinem ab his orationibus non procedere, ut statim diximus, verum etiam non esse certum hujus status animas a *peccato mortali quod nesciant esse puras:* adeo illæ gratiæ ab amore non modo perfecto, verum etiam justificante distant.

Chast. cdem. ch. 9. Ibid. ch. 4. p. 812.

46. Quem in locum sanctæ matris, Joannes a Jesu Maria summus theologus, summusque mysticus, & in

in contemplativo ordine Carmelitarum discalceatorum ad summum honorem evectus, hæc habet: *divinam quidem contemplationem sine supernaturali dono Dei nemini concedi: cæterum contingere nonnullis in peccato mortali jacentibus, B. mater Theresia credidit; quod rationi consentaneum est.*

Init. tom. 1. theol. myst. cap. 3. p. 15. 18.

Ibid.

47. Tum objectionem solvit. *Posset*, inquit, *ita excipi, ut Spiritus Sancti dono contemplationis actu, qui jacebat in culpa justus fiat*; quam tamen interpretationem rejicit, *eo quod non subsit efficax ratio ad omnino asserendum, contemplationis actum ad gratiam gratis facientem pertinere: posita s. Thomæ doctrina, 2. 2. q. 171. art. 3. & omnium theologorum, in prophetia sublimem contemplationem exerceri.* Ex quo collegit: *certius & ad mentem s. Theresiæ accommodatius, insigni contemplationis dono peccatorem aliquanto emolliri, tametsi ad statum gratiæ minime resurgat.* Non ergo status ille puro amore constat, qui ad minimum justificans est, cum in eo etiam perfectio collocetur.

Ibid.

48. Addit nonnullis videri hæc dona, iisque majora, *absque gratia gratum faciente constare posse, quemadmodum & cetera dona, quæ gratiæ gratis datæ a theologis nuncupantur*: atqui nemo existimare potuit, purum ac perfectum amorem ad eas gratias referendum; non ergo in eo contemplationis statum ac theologiæ mysticæ summam reponebant.

Ibid.

49. Pergit: *excepto illo eventu superius descripto, si de modo consueto sermo fiat, ii tantum quos misericors Deus ad gratiæ statum evebat, illa* contemplatione *potiuntur*.

50. En

50. En contemplationis donum inter gratias gratis datas recensitum, ut supra ex Gersone, aliisque retulimus, n. 40.

51. Idem auctor inter effecta mysticæ contemplationis *animi suspensionem* notat: ut prorsus in hæc duo mysticos consentire constet, *suspensionem* illam *animi* admitti oportere, donumque esse extraordinarium, nec a communibus gratiis pendens, & a puro amore longe distans: quod erat probandum.

Schola de orat. contempl. dubit. 7. eod. t. p. 597.

CAPUT XVI.

His directe opposita D. Cameracensis verba; deque philosophia scholæ, in quam culpam conjicit.

52. Jam D. Cameracensis verba videamus. Primum illud: *in his statibus nullam aliam inspirationem admitti, nisi eam quæ communis est omnibus justis.* Sane addit *validiorem esse ac specialiorem* in perfectis *puro amore gaudentibus*, sed interim ejusdem esse generis, & tantum gradu diferre: quo illas animi suspensiones excludit. Eodem pertinet locus de admittenda tantum *inspiratione & attractu communi omnibus justis*: quod assidue inculcat.

Max. des SS. p. 67. &c.

Ibid. p. 150.

53. Hinc ad eum statum, quem passivum vocant; nihil aliud requirit, *quam ut sit pacatus & ab omni commodo absolutus*, quod procul abest ab eo quod facultates animæ suspendantur, & ad impotentiam redigantur.

Max. des SS. p. 104. 110.

54. Quo etiam cogitur a tribus illis notis transeundi ad contemplationem eximere impotentiam, quam supra ex B. Joanne de Cruce, assentiente Nicolao a Jesu

Ibid. 171.

Jesu, & Baltazare Alvare exspressimus, n. 15. 16. 17. 18. & seq. 23. 37.

Ibid. p. 101. 55. Quod autem spirituales agnoverint *quemdam animæ fundum operantem sine ullo distincto potentiarum actu*, id asserit provenire ex *Philosophia scholæ, quam mystici penitus imbuerint*: cæterum *incidi difficultatem omnem, si semel supponamus animæ potentias non esse distinctas*. Sic scholæ consulit, cujus in sinum refundit spiritualium errata: sed frustra est. Primum enim non tota schola distinguit animæ potentias; tum ea distinctio ad rem de qua agimus plane indifferens est, cum id tantum agant viri spirituales, ut discurrendi operatio divinis impedimentis suspendatur, quam ad rem opinio de potentiis distinctis nihil facit. Postremo ille fundus animæ nihil aliud illis est, quam subtilis quædam operatio intellectus ac voluntatis, quæ quia ab ordinario consuetoque usu longissime abest, ideo ab interiore & latentiore fundo profecta videatur, sive re distinctæ sint facultates, seu ratione ac virtualiter tantum: ut profecto luce sit clarius, non nisi ad involvendam spiritualium sententiam scholæ opiniones adduci potuisse.

C A P U T XVII.

Nota temeritatis inusta piis sanctisque mysticis, s. Theresiæ, &c.

Max. des SS. avertiss. p. 24. 56. Neque eo contentus auctor ad hæc extrema prosilit. *Si in viis interioribus aliquid agnoscamus extra puri amoris habitualis limites*, hoc est si præ-

terea

terea inspirationes illas ac facultatum animæ suspensiones admittamus, quas omnes sancti spirituales uno ore docuerunt, *nihil magis temerarium aut periculosum futurum*: quod etiam alibi urget. P. 105.

57. Sic novus iste piorum mysticorum assertor, non modo eorum abjicit decretum certissimum, de suspensis ac ligatis divino impedimento in statu & oratione passiva animæ facultatibus, verum etiam illis gravissimam temeritatis notam inurit.

CAPUT XVIII.

Iisdem sanctis Mysticis imputatur fanatismus.

58. Nec veretur idem auctor mihi passim imputare fanatismum, quod illa impedimenta divina ac facultatum animæ suspensiones agnoverim; quod cum ego senserim, sanctæ Theresiæ, omniumque mysticorum clara & irrefragabili auctoritate ductus, non ego, sed illi fanatismi arguuntur.

Resp. ad Summa, p. 71.

Reponse à la declar. des Ev. p. 101. 109. &c.

59. At forte auctor in eo vim facit, quod ego concesserim illam orationem, eique conjuncta impedimenta divina, in venerabili matre Joanna Fremyotta, Mariaque Rossetta fuisse pæne continua. Quid tum postea? quid facit ad fanatismum, quod raro aut sæpius hæc intermissa fuerint? si suspendi animæ facultates ad fanatismum pertinet, profecto Theresia, Joannes a Cruce, Baltazarus Alvares, aliique omnes ejus suspensionis assertores a fanatismo excusari non posse constat.

Ibid.

60. Quamquam nec ego asserui continuitatem illam, quantam auctor indicat. Etsi enim religiosissimæ

simæ viduæ oratio pæne continua fuisse fertur, non propterea necesse est extra ipsum orationis argumentum illa impedimenta divina valuisse; nec ipsa oratio etsi pæne continua, eodem semper impetu viget: quin etiam annotavi inter ipsos vividissimos contemplationis actus, alios discursivos ac plene deliberatos intermisceri solitos; multos etiam scriptis aperto discursu consignatos fuisse. Idem de Maria Rossetta dixi clarissimis verbis, quæ quidem commemorare oportebat mea dicta recitantem, cum ex iis tota vis pendeat.

Inst. sur les etats d'or liv. 8, n. 32. 34. 35. pag. 317. & seq.

Ibid. 10 p. 321.

61. Quare certissimum est, nullam fuisse vel levissimam caussam, cur fanatismi accusarer: & sanctissimos mysticos, ipsam in primis Theresiam ac Joannem a Cruce, quorum opera vel maxime uti velle se profitetur præsul, ipsius judicio, ut temerariæ, ut periculosissimæ doctrinæ auctores, esse rejectos, neque tantum ut suspectos, sed etiam ut aperte fanaticos.

Max. des SS. avert. ills. p. 24. p. 205. Resp. ad Summa, p. 23. Rep. a la decl. p. 109.

CAPUT XIX.

Quid ad hæc reposuerit auctor.

62. Hæc quidem auctori objecimus in Declaratione nostra, & auctores appellavimus quibus facultatum suspensio niteretur, Gersonem, Theresiam, Joannem a Jesu, Jacobum Alvarem Paz, Franciscum Salesium, atque his nunc addidimus Joannem a Cruce, ac Baltazarum Alvarem. Hæc quidem refert auctor; quid autem respondeat, operæ pretium erit intelligere. Talis autem responsio est: *facile probatu esset*,

Declar. 1. Episc. pag. 10.

Rep. a la decl. p. 107. 108. 109. &c.

esset, auctores quos citant non favere eorum sententiæ; quo dicto, tamquam confecta re, transit ad aliud. Fidem hominum! facile probabis scilicet illos auctores & alios mysticos, in oratione quietis, divina illa discursus impedimenta nescisse, neque eam orationem revocasse ad gratias gratis datas, quæ non modo nihil faciant ad justificantem gratiam, verum etiam cum peccato mortali stare possint? Facile, inquam, probabis, eam orationem, quæ cum peccato mortali stare possit, in puro amore consistere, purumque illum amorem cum eo peccato posse conjungi: hæc, inquam, facile probabis, cui nihil non asserere, nihil non probare in promtu est? Miserum est, cum ad hæc nec hiscere valeas, tam contemtim tamen tamque confidenter objecta transilire.

C A P U T XX.

Aliæ Responsiones.

63. *At enim,* sic objicit, *Prælati semper confundunt contemplationem & passivitatem:* quid ad nos qua hæc verborum subtilitate secernas? Certum, certum inquam illud est, contemplationem sine illa tua quam vocas *passivitate* esse non posse, cum tibi contemplatio non nisi in puro amore sit, in quo *passivitatem* reponis. Hoc nobis sufficit, cum luce clarius dederimus eam orationem in puro amore reponi non posse, quæ etiam cum peccato mortali constet.

Rep. a la decl. p. 108.

64. Pergit tamen: *Prælati in articulo Issiacensi* XIII. *admittunt eam quam admisi passivitatem, cum agnoscant actus in corde conceptos & formatos*

Ibid.

cum

cum omni suavitate spiritus sancti. Sane: quis enim hos actus nesciat? sed hos actus esse passivos, tu solus asseris; neque in eo Prælatos habes assentientes, quæ nostra quæstio est.

65. Adeo autem absumus ab eo, ut in articulo XIII. passivitatem illam explicare velimus, ut e contra passivitatem omnem ad articulum XXI. referamus, ibique tantum ejus mentio incipiat. Qui autem dixerit *passivum* hoc esse *tranquillum*, te primum, te solum esse comperimus, alium præter te neminem.

Max. des SS. p. 204. 210.

66. Quod addis *eorum*, trium scilicet prælatorum, *passivitatem*, quæ non eorum est, sed auctorum omnium spiritualium, ut vidimus, tibi esse *suspectam*: id ipsum est quod miramur, tantam esse confidentiam, ut ipsam Theresiam, ipsum Joannem a Cruce, aliosque tot ac tantos mysticos, quos a nostra sententia separare nulla arte potuisti, nec ipse tentasti, pro suspectis, pro temerariis, pro fanaticis habere sis ausus; adeo nihil non audes, nihil non verborum fuco probare te posse confidis. Miram eloquentiam, sed plane noxiam!

Rep. a la decl. p. 108. 109.

CAPUT XXI.

D. Cameracensis sibi ipsi contrarius.

67. Quid quod D. Cameracensis hanc ipsam quam fanaticam vocat impotentiam adstruit? An non enim agnoscit in certis statibus quoad orationem vocalem *veram impotentiam?* Unde illam, nisi ex suspensis divina potentia etiam interioribus animæ facultatibus?

Max. des SS. p. 157.

bus? non enim Deus, credo, linguam, sed illas facultates impeditas tenet: quænam autem illa est in articulo x. toties decantata *invincibilitas & ratiocinandi incapacitas*, nisi impotentia quædam? unde vero orta, nisi ex eo quod anima videre non possit id quod *Deus ipse subtrahit, suffuratur, occulit?* Tuo ergo te gladio jugulas, & ut me fanatismi arguas, non modo Theresiam & alios, sed etiam teipsum (pudet, ah pudet) facis fanaticum.

Ibid. p. 87. 89. 90.

Ibid. p. 80.

CAPUT XXII.

D. Cameracensis responsio circa tres notas transitus ad contemplationem.

68. Sane D. Cameracensis vult a se memoratas tres illas celeberrimas transitus ad contemplationem a B. Joanne a Cruce præclare constitutas notas: *nempe*, inquit, objiciunt *a me prætermissam impotentiæ notam*. Certe id objicimus. Ostende vero quid de ea dixeris. *Dixi enim solum*, inquit, ex discursiva oratione *animam non trahere succum, neque quidquam aliud agere, quam ut sese distrahat, ac languore conficiat*. Certe id solum dixisti. Dic sodes, an Joannes a Cruce, aliique mystici id solum dixerint, non veram impotentiam agnoverint: suspensis scilicet animi divina quadam operatione ac per impedimenta divina facultatibus? Verbis eorum teneris: negare non potes. Fatearis ergo necesse est a te unam mysticorum prætermissam notam, atque eorum, quam extollere velle videaris, spretam auctoritatem.

Rep. a la decl. p. 118. 119. Ibid.

CAPUT XXIII.

Grande illius notæ suppressæ incommodum malè a D. Cameracensi propulsatum.

Rep. a la decl. p. 139.

69. *D. Meldensis*, inquit, *id contendit pertinere ad inflandas animas*. Sane. Id enim pertinet ad infarciendam præcipitis superbiæ amentiam, si quoties animam ad contemplationem admoveris, simul illi declares in eo esse necessarium amorem purissimum ac perfectissimum: atqui hoc declaras, qui contemplationem in puro amore collocatam doces. Respondet

Ibid. 40.

D. Cameracensis: *Idipsum damnare est B. Joannem a Cruce, S. Theresiam, Baltazarem Alvarem, & Franciscum Salesium*. Certe si illi tecum reponerent contemplationis orationem in amore purissimo, non tantum justificante, verum etiam perficiente: sed quam longe ab eo errore absint, satis constitit.

70. Neque tantum animas ad contemplationem traducendas in hunc gurgitem conjicis, sed ipsos etiam directores, quibus subtrahis certissimam & clarissimam impotentiæ notam; qua tamen sublata audens declarare animabus, ipsas esse purissimo amore perfectas, quo discursum omnem abjicere teneantur.

Ibid. pag. 140.

71. Reponit: *annon anima ad contemplationem a meditatione traduci potest, nisi id ei declaraveris?* Speras ergo id a te posse præstari, ut anima omnem discursum, te auctore abjiciat, neque id tamen persentiscat? callidum directorem, qui hæc se perficere posse crediderit!

Ibid.

72. At enim: *cum animæ cuipiam sua mutantur exer-*

exercitia; *non propterea eidem indicatur eam esse amore perfectam*, *sicut nec diacono cum ad sacerdotium promovetur*. Nec cogitas mutato exercitio, meditatione sublata, discursu interdicto simul indicari purissimum amorem sine quo ista ex te esse non possunt: neque ullum est simile signum; signum, inquam, facti in promovendis ad ordines. Hæc ergo mittamus, & a te fateamur neglectas illas notas a spiritualibus traditas.

CAPUT XXIV.

D. Cameracensis objectiones, sive argumenta quinque.

73. Præsulis responsa vidimus; nunc ne quid probationi nostræ desit, objecta audiamus. Sunt autem hujusmodi. Primum: *B. Theresiam septima in mansione asserere, animas ejus status nullum experiri amplius raptum, qui contra ordinem naturæ suspendat intellectus voluntatisque facultates.* — *Max. des SS. p. 207.*

74. Alterum: *his suspensionibus everti systema puræ fidei piorum omnium mysticorum, ac in primis B. Joannis à Cruce.* — *Ibid.*

75. Tertium: hanc fidei obscuritatem nullum admittere lumen extraordinarium, nullam extraordinariam aut miraculosam inspirationem, teste eodem B. Joanne à Cruce. — *Ibid. p. 64. 65.*

76. Quartum: *secundum eumdem auctorem ab hujus statu animabus extases, visiones, revelationes, communicationes interiores voluntarie recipi minime oportere*, cum eodem auctore teste, in fide nudissima atque obscurissima mens maneat. — *Ibid.*

 77. Quin-

Ibid. 207.

77. Quintum: admittere illas facultatum suspensiones nihil aliud esse, quam *contemplationem passivam, quæ ex se libera est & meritoria, cum gratiis gratis datis confundere; repugnantibus sanctis, qui dicunt numquam his gratiis voluntarie occupandam mentem*. Hæc sunt igitur D. Cameracensis argumenta quinque, ad quæ resolvenda nunc ordine procedimus.

CAPUT XXV.

Responsio ad primum ex s. Theresia sumptum.

78. Ad primum quod sumtum ex sancta Theresia negante in mansione septima ullum esse actum suspendentem facultates, dicendum & rem esse falsam, & locum ab auctore esse corruptum: & quidem satis constitit septem totis primi hujus opusculi capitibus, & centum eximiæ virginis locis de suspensis facultatibus in actione quietis, quam ipsa contemplationis appellat. Ergo si in mansione septima jam nulla suspensio est, ne sancta ista sibi, quod nefas est credere, in re experimenti adversari videatur, vel dicendum raptum alio sensu dici ac auctor intelligat, vel hunc locum qui nobis objicitur non ad orationem quietis, sed ad aliud orationis genus pertinere.

Clast 7. dem. ch. 1. p. 809.

79. Ut autem sanctæ virgini mentem ex ipsa teneamus, in illa septima mansione id habemus, cap. 1. Hunc statum incipere a visione intellectuali sanctissimæ Trinitatis, quæ plane cœlestis & extraordina-

ria

ria est, quo etiam loco loquitur de operatione quadam, quam *apertionem fenestræ*, hoc est introductionem cujusdam intimæ lucis nominat: hanc autem *fenestram ab anima aperiri posse negat, aut a quoquam nisi a Christo*, quæ nisi de gratia extraordinaria intelligantur, nihil sancta diceret. *Ibid.*

80. Capite vero secundo apparet *sanctissima Jesu Christi humanitas, multæque interveniunt divinæ operationes, aliæ raptim, aliæ firmiores ac magis durabiles*, quo etiam loco amittit anima *motum omnem quem potentiæ & imaginatio indere consueverant:* quin etiam intellectus *operatio non perturbat animum; quia omnipotens qui creavit illum, ejus suspendit actionem, hincque intueri tantum id quod intus agitur quasi per rimulam quamdam*, hoc est actione intima, tenui & exili vixque sensibili: *tum vero potentiæ*, quatenus magis afficiuntur sensibus, *manent non extinctæ quidem, sed operatione nulla*, sensibili scilicet, *& quasi attonitæ rerum magnitudine*. *Ibid. ch. 2. p. 811. 813.* *Ibid. p. 814. 815.* *Ibid. 819.*

81. Cap. deinde quarto sic ait: *Dominus animas interdum sinit ad suum naturalem reverti statum*, a quo proinde eas abstraxerat. Denique, *Deus solus potest hanc indulgere gratiam, & quicumque noster conatus esset inutilis*, intellige conatum ex communibus gratiis, (ut sup. num. 3. 6. 23.) alioqui nihil dicit. En quot operationes extraordinarias, quot rerum miracula inducat in eam mansionem, a qua omnia extraordinaria arcere voluisse fingitur. *Ch. 4. pag. 821.* *Ibid. 817.*

82. Quid ergo dicendum ad eum Sanctæ locum, quem auctor objicit? (sup. n. 72.) omnino respon-

dendum, hunc locum ab eodem auctore esse truncatum. Sic enim refert à B. Theresia assertum; *septimæ mansionis animas nullum experiri amplius raptum, qui suspendat intellectus, voluntatisque facultates:* atqui sancta illa virgo non scripsit absolute nullum, sed *fere nullum:* neque etiam id scripsit de omni genere aut omni effectu raptus, cum disertis verbis dicat: *ego autem id intelligo quoad exteriores effectus:* quod postea exponit *de extasi, aut volatu mentis: quæ* inquit, *in septima mansione rara sunt, nec fere contingunt in publico*. En quid beata virgo ab ea mansione arceat; raptum *in publico*, raptum *quoad exteriores effectus*, idque non absolute, sed *fere:* ac ne quidem ait hos raptus nullos esse, *sed raros:* neque ut auctor fingit, raptus generatim *ad infirmitatem animi* pertinere, sed *raptus illos* quales vidimus, quibus beata virgo toties laborasse se memorat: raptus denique ubi anima ita sibi excidit tota, ut *nullus usus sensuum relinquatur:* quod in ejusmodi oratione est infrequens, cum fere unus discursus intercludi soleat.

Ibid. ch. 3. p. 819.

Max. des SS. p. 207. 208.

7. dem. ch. 819. 820.

Ibid. seq.

83. Sic igitur auctor B. Theresiæ locum nobis objicit, sed mutilum, resectis integris sententiis, iisque quæ ad rem vel maxime faciant.

CAPUT XXVI.

Ad alia objecta respondetur.

84. Ex his ad secundum argumentum ex B. Joanne a Cruce promtum facile responderi potest. Sciendum autem est, orationem quietis, quæ discursum impedimen-

dimento divino suspendit & excludit, ut ex eodem beato viro supra demonstravimus (n. 15. & seq.) etsi eo nomine sit extraordinaria, ut ibidem est dictum, tamen ejusmodi esse, ut longis diuturnisque voluntariis dispositionibus & experimentis præparetur; quibus id anima vel maxime doceatur, ne supernaturali gratiæ obicem ponat; unde ea gratia supernaturalis licet, ut B. Theresiam, Joannem a Cruce, Baltazarum Alvarem, aliosque omnes vitæ spiritualis auctores communi consensu docere vidimus, tamen non eodem modo extraordinaria est, atque extases, aliaque quibus sensus omnis penitus interclusus absorbetur ac mergitur: unde eam prædicti sancti viri non ad miraculum revocare consuevere.

85. Diligenter autem attendendum in oratione quietis, secundum illos beatos auctores nihil premi, nisi discursum qui christianis actibus non est essentialis, cum teste Propheta & Apostolo, justus ex fide vivat, quæ non est discursiva, ut passim theologi docent: unde hic christiano nihil extraordinarie adimitur, nisi ille discursus qui christianæ vitæ ut christiana est, non est necessarius, ceteris integris & consueto modo currentibus: quare merito asserit nullum huc aliud advehi lumen præter illud nudæ ac simplicis fidei, quæ discursiva non est, adeoque nihil de suo amittit sublato discursu, immo vero vel maxime ad suam redigitur nuditatem, sanctamque obscuritatem; nihil ex discursus luce mutuantem.

86. Joannes autem a Cruce ab oratione quietis, sive a contemplatione, adeo non excludit gratias extraordinarias, ut etiam in eum statum passim ad- *Liv. 2. ch. 28. p. 116. &c.*

mittat interiores voces, non nisi ab extraordinaria inspiratione profectas: admittat etiam pennati Seraphini sagittam & plagas, quas quidem quantumvis extraordinarias, non tamen reponit miraculorum loco, eo quod non subitis & omnino improvisis motibus & impressionibus evenire; sed totius status serie adduci & præparari videantur.

Vive flame Cant. 2. v. 2. pag. 513. 514.

87. Itaque raptus fere excludit illos tantum, qui & omnes sensus hauriant, nec aliis inter se certo ordine connexis operationibus, sed divino tantum impetu aut instinctu, nulla vel non ita conspicua præparatione & connexione constant: quæ nos alibi indicavimus; aliis tractatibus fusius exponenda recepimus.

Inst sur les etats d'or. liv. 7. n. 6. &c. liv. 10. n. 23. &c. p. 237. 445.

Et per hæc patet solutio ad cetera objecta (n. 73. & seq.) qua de re etiam videndus est Baltazar Alvares locis allegatis, n. 34. 38. quæ cum B. Theresia ac B. Joanne a Cruce mirum in modum concinunt.

CAPUT XXVII.

De amore illo qui ab oratione passiva inseparabilis videatur, quæstiuncula.

88. Quæres, quid igitur caussæ sit cur orationem quietis ac simplicis intuitus sive passivam vitæ spiritualis magistri, in quadam amoris vi reponere videantur? In promtu responsio est. Amor quodam sensu ipsa passione constat, alio sensu, actione, immo etiam voluntatis electione vera. Sunt qui ament volentes, illecebris amoris libere consentiant, seque

ultro

ultro ac tota voluntate amori ipsi tradant: tum amor activus est. Sunt etiam qui ament inviti; nolentes, repugnantes, nec amori consentientes: hi non amant secundo sensu, sed primo, amoris passione, non actione, ad amorem attracti potius quam amantes. Id etiam in divinis habet locum. Verus amor, vera caritas virtus est, & virtutum perfectissima, quæ etiam a theologis vera dilectio vocatur, vera ac deliberata electione constans; unde etiam dilectionis nomen passim apud theologos. Est autem alius amor seu potius attractus ad amorem impulsu divino inflammante, instigante, ad amandum illiciente, aut etiam quodam modo pertrahente: hæc vis improprie amor dicitur, melius illecebra amatoria diceretur: viget autem in oratione passiva: cum vero ei prono animo ac voluntate consentiunt, fit ipsa dilectio illa justificans atque perficiens: quare hæc sola non prior illa justificat; aliud est enim illici, impelli, trahi quodammodo ad amorem, aliud consentire, eligere, ac vere diligere. Quæ nos a spiritualis vitæ magistris tradita hic obiter annotamus; tractatu vero habito, seu continuato de statibus orationis copiosius exequemur. Nunc ista sufficiunt.

CAPUT XXVIII.

De Fanatismo. Auctoris insignis error.

89. Ideo fanatismi me auctor accersit, quod *orationem passivam* admiserim eam, *qua posita, animæ reputantur extraordinario instinctu actæ & impul-*

Resp. ad Summa, p. 72.

pul-

pulsa, *ita ut libero arbitrio careant*, *& prorsus inhabiles fiant ad quoscumque discursivos*, *etiam dominicæ orationis actus edendos*: cum Deus *manu suprema agat*, *animamque immedicabiliter ponat extra pastorum directionem omnem*, *ac liberi arbitrii actum indefinite auferat*: qua in re & mihi errorem imponit, & ipse vehementer errat.

Rep. à la decl. p. 100.

90. Ac mihi quidem splendide imponit. Primum, quod mihi imputat ea quæ a s. Theresia, a B. Joanne a Cruce, Baltazare Alvare, & aliis, de verbo ad verbum exscripseram. Deinde quod & mihi & illis falsa imputet. Nulli enim diximus auferri *indefinite* liberum arbitrium, sed tantum ad effectum suspendendi discursus, idque tempore orationis tantum, ut expresse docuimus libro VII. & X. de statibus orationis, neque eo usque ut omnis directionis adjuvantis opera subtrahatur; id enim toto opere agit B. Theresia, id Joannes a Cruce, ut eas animas regant, atque optimæ directioni subjiciant. De oratione autem dominica, usque adeo absumus ab eo, ut cuiquam subtrahatur, ut etiam *passivissimis*, si ita loqui fas est, animabus relinqui liberam pro certo statuamus toto libro III. de statibus orationis, libro quoque X. inter XXXIV. articulos VIII. & lib. VIII. passim ac præsertim n. 36. quare quodcumque hic mihi ac spiritualibus aliis imputatur, mera & aperta calumnia est in me; &, quod gravius, in sanctos.

Inst. sur les etats d'or. liv. 7. n. 6. liv. 10. n. 21. p. 237. & 447.

Inst. sur les etats d'or. liv. 3. n. 1. &c. p. 72. &c. liv. 8. n. 36. p. 331. liv. 10. n. 8. p. 389.

91. De libero sane arbitrio, quod a me indefinite sublatum insimulat, hæc diserte dixi: *Ea actio, quam passivam vocant, non est suppressio cujuscumque actionis etiam liberæ, sed tantum ejus actus qui di-*

Inst. sur les etats liv. 7. n. 6. p. 237.

discursivus dicitur, *ubi procedit ratio ab una re ad aliam*, *in qua re usque adeo certum est non tolli liberum arbitrium*, *ut etiam Angeli*, *qui non sunt discursivi*, *procul dubio sint liberi*. Quæ doctrina inculcatur libro x. his verbis: *non ergo hæc suspensio est actuum liberi arbitrii*, *sed eorum tantum actuum qui discursivi sunt*, *sive proprii conatus & industriæ*: *qui actus suspenduntur* non indefinite, ut calumniatur auctor, *sed momentis a Deo dispositis*, idest potissimum orationis tempore; quod toto libro fusum.

Liv. 10. n. 21. p. 445.

92. Cum autem mihi, nec mihi sed sanctis sub meo nomine tantos errores imponat, ipse vel maxime errat, cum in raptibus, extasibus, impulsibus, & instinctibus extraordinariis, manuque suprema factis, qui negari non possunt, & in sanctis prophetis procul dubio reperiuntur, fanatismum reponat; quod certe hæreticum & impium est.

Resp. ad Summa, *p.* 71.

Rep. a la decl. p. 10.

CAPUT XXIX.

Quod auctor a sanctis spiritualibus toto systemate discrepet.

93. Jam ergo sanctorum mysticorum a D. Cameracensi aperta discrepantia est. Primum, quod ab illis omnibus sanctis uno ore agnita divina impedimenta tollat: deinde quod sanctorum doctrinam temerariam, periculosissimam, suspectam, fanaticamque decernat: denique, quod *passivitatem* reponat in purissima caritate, hoc est in ipsa christianæ perfectionis arce, contra quod omnes sancti docuerunt,

ut

ut supra vidimus primo & secundo corollario cap. 14. & 15. n. 41. &c. 45. &c.

94. Hæc autem & ista per se singularis inauditæque temeritatis sunt, & tollunt certissimas a magistris traditas ad orationem extraordinariam transeundi notas, & animas ad eam dirigendas in gravissimum superbiæ periculum agunt præcipites, uti supra memoratum est n. 67 69.

95. Quod autem orationem extraordinariam sanctis quoque inaccessam & speciali vocatione indigentem in ipsa caritatis perfectione constituit, contra omnium spiritualium sensum, ut vidimus, christianæ perfectioni derogat, & habet omnia incommoda in nostra declaratione copiose recensita; responsis auctoris alibi, Deo juvante, perspicue refellendis.

Declar. p. 16. 17.

96. Vides, candide Lector, quid illis eveniat qui se ceteris præstare velint; nempe existimavit auctor se ad summum mysticæ scientiæ devenisse, unum *se esse scilicet a quo vel maxime spirituales viri intelligi se sentiant*, unum se omnium qui *accuratius quam eorum pars maxima hæc arcana tradiderit*. Itaque suo præfisus ingenio, (quod lugentes, nec nisi necessario dicimus) dum systema mysticorum componit ad arbitrium, non Joannem a Cruce, licet sæpe laudatum, non alios a se toties appellatos sequitur, sed eos, ipsumque adeo sanctum Franciscum Salesium, sanctamque Theresiam supergressus aliam eamque pessimam & inauditam init regendarum animarum viam: & qui mysticis favere fingitur, eos vel maxime impugnat, nec aliquot verbis atque sententiis, sed toto ut vidimus systemate, tota doctrinæ,

Max. des SS. avertiss. p. 28.

tota

tota instituendæ interioris vitæ ratione, quod erat demonstrandum.

APPENDIX.

Ad primum articulum ex Dissertatione D. Cameracensis.

97. Ego cum animum ad hanc scriptionem appuli, nondum noveram *Dissertationem illam D. Cameracensis de veris oppositionibus inter doctrinam Episcopi Meldensis & suam*, quam edidit post responsionem ad Declarationem nostram. Hujus dissertationis punctum secundum est *de oratione passiva*, quo loco diligentissime quærendum est: quid novi D. Cameracensis afferat. Quale autem illud sit, sequentia demonstrabunt.

P. 12.

CAPUT XXX.

In sua Dissertatione D. Cameracensis nullum affert suæ sententiæ auctorem.

98. Quod *ad passivitatem* attinet, D. Cameracensis duo peccasse convincitur: Primum, quod suspensiones facultatum ab omnibus mysticis agnitas primus & solus e medio sustulerit: alterum, quod *passivitatem* primus & solus in puro ac perfecto amore reposuerit: primus, inquam; & solus nullo hujus rei adducto auctore: quod etiam illis verbis constitit in responsione ad Declarationem positis: *facile probatu esset, auctores quos citant non favere eorum sententiæ*. Quod quidem si facile probatu esset, non id

Rep. à la decl. p. 121.

præ-

prætermitteret diligentissimus sui tuendi artifex cum in eo tota sit constituta difficultas: prætermisit autem: neque nostros auctores exponendos suscipit, nec quemquam pro se laudat; etiam supra demonstratum a nobis est. (n. 62.) At nunc in eumdem impingit lapidem: *credo*, inquit, *a me id posse demonstrari ex Joanne a Cruce, & aliis quos Meldensis citat*. Demonstra ergo vel semel: saltem conare, ut vel unum tuæ sententiæ defensorem adducas: quamdiu enim hæc jactaveris, numquam præstiteris, nihil est.

Diss. p. 47.

99. Sane confitetur, sanctos mysticos posterioris ætatis, *quamdam impotentiam* agnovisse, sed *quæ ad litteram accipienda non sit*. Quid ni? Quid enim necesse est vim facere sanctis, ut eos a nativo sensu abstrahas? Quo auctore hæc aggrederis? Quem adducis vitæ spiritualis auctorem qui tecum sentiat? immo quem appellare potes, qui non tibi clare adversetur? Ego vero, qui ab hac sententia discesserit, qui non hæc divina impedimenta docuerit, novi neminem. Audi virum præstantissimum ac sanctitatis odore florentem Olerium: *Status tuus manifesta impotentia est, in qua Deus te tenet*, rursus: *reddit tuas facultates naturales inutiles & impotentes ad illi serviendum*, rursus; *transire te oportet per ariditates, per impotentias*. In alia epistola: *tuum amandi desiderium* (quatenus sensibile est; & in sensus se exerit) *impeditur sive sistitur superiore potentia ac præsentia sponsi silentium imponentis interioribus facultatibus*. Iterum: *O si sponsus sineret ageret sponsam, quid non tunc loqueretur?* nempe

Ibid. p. 17.

Ep. 118.

Ep. 123.

su-

suspendit amatoria quæ a discursu pendent, quæ ad sensus vergunt: *ut anima agnoscat, nihil se esse per se quam ariditatem, quam impotentiam, quam languorem ac cæcitatem, quæ in ea restat his subtractis auxiliis*. En hæc impedimenta divina piis vitæ spiritualis magistris quam sint familiaria, quæ tu tamquam noxia ad litteram sumi vetas. Ep. 157.

100. Audis carceres, catenas ferreas; audis divino numine, divina vi ligatas, suspensas, impeditas, quoad certos vulgatos actus, animæ facultates; quædam esse, quæ per certa momenta præstare non possint, eo sensu quo sine gratia nihil possumus: audis subtractiones, impossibilitates ab alto immissas, & quid non? nempe ut experiantur illud Davidicum: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*; cum nempe dixisset: *in abundantia sua: non movebor in æternum:* at illud evenit: *avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*, cui concinit illud: *avertente te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum*, in impotentiam suam, in nihilum suum *revertentur:* & illud: *flabit spiritus tuus, & fluent aquæ*: quas, illo cœlesti flatu per intervalla subtracto, nulla vi expresseris. Subtrahit enim Deus per certa momenta quæ vult, ut discant illud dominicum: *sine me nibil potestis facere:* hinc illa impedimenta divina ab omnibus omnino spiritualibus posita: at tu, novus vitæ spiritualis magister, Theresia aliisque præstantior, ad litteram hæc sumi vetas. Ps. XXIX. 8.

101. Quidni autem tanti viri, si tanta sunt horum impedimentorum incommoda, si tanta pericula

quan-

quanta tu jactas, quidni sua dicta ipsi temperarunt? cur Theresia hæc dixit, quæ librum aperienti nunc succurrunt: *in tam excelso statu anima discurrere, nec si vellet, posset?* quo quid expressius excogitari potuit? cur alii paria millies repetebant, nec animas sibi ab alto commissas, ac suam impotentiam nimis deplorantes comprimendas putarunt: nempe, ut tu illis doctior, nova hæc temperamenta primus solusque reperires?

c. dem. ch. 7. p. 786.

102. *At per illam*, inquit, *mysticorum impotentiam, intelligendum est gratiæ illecebram tunc esse tam validam, ut anima a se id impetrare non possit, ut ab ea se abstrahat*, hoc est, vix potest; ægre potest: nempe id Theresia, id Franciscus Salesius, id Joannes a Cruce, & alii vitæ interioris principes nesciebant: *vix*, illud ignorabant: veram impotentiam, vera impedimenta divina, propriissimis verbis ad animarum laqueum exprimebant.

Diss. ibid.

103. Quod autem iterum recurrit auctor ad scolæ præjudicia, falsamque philosophiam, supra luculentissime confutatum est; (n. 55.) confutata ea, quæ ex me ipso mihi ipsi objicit de continuitate actuum, deque libero arbitrio indefinite sublato, & aliis ejusmodi; (n. 59. 60. 89. 90. 91.) confutata denique, quæ ex B. Theresia, & Joannis a Cruce regulis promsit: n. 77. 83. & seq.

Ibid. p. 47.

104. Nec minus vana sunt, quæ profusissime exponit de liberi arbitrii usu sublato: non *indefinite*, ut falso exprobrat, sed ad certos actus non semper necessarios, sed ad certa momenta: (ex n. 90. 91.) quo loco, ut vidimus, non me, sed auctores maximos,

Ibid. p. 35.

quos

quos tantum exscripsi, audacissimus censor carpere aggreditur.

105. Me vero proprie reprehendit, eo quod attulerim exemplum angelorum, ut ostenderem, sine discursu liberum arbitrium stare posse: *nempe*, inquit, *si D. Meldensis dixisset, angelos sine discursu fuisse liberos ad merendum, recte: sed, angelos in præsenti esse ad merendum liberos, sine restrictione dictum, Lutheranismum sapit, ac liberum a coactione tantum admittit, sublata indifferentia.*

Ibid. p. 14.

106. Equidem putabam, etiam novitios theologos facile intellecturos quæstionis statum, prout in schola passim instituitur. Quærit nempe s. Thomas, & post eum theologi omnes: *utrum in angelis sit liberum arbitrium*: non quidem utrum sit eo quo sunt statu: sed utrum sit per naturam: quia vero non quæsivit utrum olim fuerit, Luthero favebit? en aucupia verborum, & scholæ terminos a tanto magistro nequidem intellectos.

1. p. q. 59. art. 4.

107. Pergit: *quæ* (Meldensis) *de extasibus propheticisque inspirationibus dixit, non minus me movent: supponit enim sanctos in illis omnibus statibus carere libertate.* Pace præsulis dixerim: non id suppono. Vide enim quid eo loci quæram: nempe quæro cum schola, utrum Deus possit imponere libero arbitrio quamcumque voluerit necessitatem: quis autem ea de re dubitat? adduxi in exemplum extases & raptus: quo loco ad intentum meum sufficit, ut interdum, non semper, adimatur liberi arbitrii usus: quod negari non potest.

Diss. p. 14.

Inst. sur les etats d'or. liv. 7. n. 1. p. 251.

108. An enim credendum est Paulum, cum adeo ex-

II. Corinth. XII. 1. 2.

extra se raperetur, ut ne quidem sciret utrum in corpore esset nec ne; toto liberi arbitrii usu gavisum esse? quid Jeremias, cum vastitatem populi clamitare tæderet, ac diceret: *non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius?* an non interea sentiebat incumbentem sibi vim illam propheticam plane ineluctabilem? quid, cum diceret: *factus sum, quasi vir ebrius, & quasi homo madidus a vino, a facie Domini, & a facie verborum sanctorum ejus:* an erat sui compos, agebatque quod vellet? quid Ezechiel; cum ad eum diceret Dominus: *ecce circumdedi te vinculis, & non te convertes a latere tuo in latus aliud?* an lecto sic affixus per quadraginta dies, innato in corpus suum vigebat imperio? quid sanctus Job? an quæcumque protulit dixit arbitrio, & non aliena vi tenebatur vinctus, nec per certa momenta eximios illos spei ac pietatis actus explicare sinebatur, ut cum postea prosilirent, diviniores essent?

Jer. XX. 8. 9.

Ibid XXIII. 9.

Ezech. IV. 8.

109. Neque profecto necesse erat, tot paginis, tanto studio probare, usum meritorium liberi arbitrii non esse semper ab extasi raptuve alienum: quis enim id ignorat? aut cui non notum, somnium Salomonis liberæ sapientiæ electione celeberrimum? Cæterum sufficiebat, interdum abrumpi liberi arbitrii usum, multosque inesse actus non magis ad illud pertinentes, quam motus primo primos: quod a nemine negari posse, aut umquam negatum esse constat: sed hæc in meo de Statibus orationum libro necdum tractanda susceperam: certa, concessa, omnibus nota referebam.

Diss. p. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

110.

110. Quare, quod hujus rei præsul a me traditionem primorum sæculorum exposcit; inanis opera est: dari enim extases, raptus, mentis excessus, quibus ipsa sibi excidat, nec sui sit compos, Dei revelatione certum: quousque pertineat ille raptus excessusque, res facti, res experimenti est, vacantque omnia, quæ operosissime totis sex paginis argumentatur auctor. Pag. 16. & seq.

111. *Nempe*, inquit, *Meldensis confitetur nullum in Basilio, nullum in Augustino, in aliis patribus passivæ orationis ab ipsis frequentatæ, apparere vestigium*. Ibid. Enimvero fateor, quod magno argumento esse volui, errare vehementer illos, qui in ea perfectionem christianæ vitæ collocant: at non propterea legem imponebam Deo, ne quamcumque vellet passionis divinæ partem impertiret suis: quod facti, inquam, experimentique est; non traditionis, non dogmatis.

112. Illud vero præsuli perpendendum erat, quod in articulo Issiacensi XXI, ipso subscribente, seque ultro submittente, conscriptum: *orationem quietis, aliasque extraordinarias atque passivas, sancto Francisco Salesio, aliisque spiritualibus ab Ecclesia receptis, approbatas, esse admittendas*. Art. 21. d'Issy. Quam autem orationem quietis, sive passivam Franciscus Salesius, Theresia, Joannes a Cruce, aliique approbarunt, nisi eam quam illa mystica impotentia faceret? aut qui sunt alii mystici, qui de ea oratione tractarint? nulli profecto. Eorum ergo orationem ipse auctor approbavit, quam nunc, si Deo placet, temerariam, periculosam, fanaticam vocat.

113. Nec minus hic notatu dignus XXII. Issiacensis articulus: *Absque his orationibus extraordinariis* (passivis scilicet) *inter sanctos recenseri, & ad perfectionis apicem devenire quis potest*. Nempe alludebamus ad Franciscum Salesium, ad Theresiam, ad alios id perspicue sentientes: non autem perfectio cuiquam contingere potest sine amore puro: non ergo puro amore passiva oratio constat.

114. Neque enim aut illi perfecti sine quadam oratione sunt: aut eorum oratio in alio quam in puro amore reponi potest, nec potest purus amor non esse *passivus*, si passivum esse nihil est aliud quam esse tranquillum & proprii emolumenti vacuum, ut auctor asserit: ergo ex eodem auctore non potest quis esse perfectus sine oratione passiva, & extraordinaria: quod evertit XXII. articulum ab auctore subscriptum.

Max. des SS. p. 209. 210.

115. In hæc se pessima, sibique ipsis adversa conjiciunt, qui se summos auctores regendæ vitæ spiritualis esse volunt: nos autem humiles & infimi in tuto gradimur, qui pedissequi, non duces esse volumus; neque quidquam aliud quam sanctorum dictata exscribimus.

AR-

ARTICULUS II.

De actibus conatus proprii.

CAPUT PRIMUM.

Sanctorum spiritualium doctrina recolitur.

116. Anteaquam de actibus conatus sive laboris, industriæque propriæ, auctoris mentem exponamus, recolenda paucis ea, quam retulimus, spiritualium concors sententia, de suspensis animi facultatibus. Primam ea de re audivimus magnam Theresiam (n. 34. &c.) & alios toto priore articulo passim, præsertim vero (n. 15. 16. 23. 24. 25. 28. 34. &c.) actus autem illos proprii laboris & conatus, non alios esse quam discursivos, ex iisdem spiritualibus tot testimoniis probavimus, ut ea repetere supervacanei laboris sit. Hoc ergo posito, si D. Cameracensem ab ejusmodi actibus abhorrere evincimus, profecto constabit, & a viris mysticis, quos tractandos & explicandos suscepit, abhorrere: rem autem ita conficimus.

CAPUT II.

Auctoris loci de conatu proprio.

117. Sane eam in rem multos referre possumus locos: verum hic unus sufficit ex appendice Responsionis Bruxellis excusæ, adversus librum, cui titulus, *Summa doctrinæ &c.* in qua appendice hæc le-

Resp. ad Summa, appendix, 73. 74.

gimus: *In responsione ad Declarationem abunde probatur, actus propriæ industriæ, propriique conatus, esse evidenter in libelli textu actus naturales, anxios, & sollicitos, quibus anima gratiam anteire satagit. Unde constat, illos a perfectis ut imperfectionem amputari posse, juxta nostrum articulum Issiacensem XII. qui propriam industriam dicit expressissime eam proprietatem, quæ, si sanctis auctoribus ac D. Bernardo credas, nullatenus est supernaturalis, immo imperfectio mere naturalis habenda est. Quod est proprium, sive ex proprietate fluit, hoc tantum reputandum est fieri ex nobis tamquam ex nobis. Proprium ita nuncupatur, ut quod a natura nobis insitum est, opponatur ei quod est in supernaturali ordine Dei donum. Hos naturales actus resecare, non est sui curam abjicere, & ingenio fanatico uti.* Hactenus D. Cameracensis. Quid ille argumentis probaverit de actibus naturalibus, qui nihil sint aliud quam proprii conatus actus, alio loco viderimus: quid autem docuerit, & pronuntiaverit, hoc est.

CAPUT III.

In hoc loco aperta hæresis & sanctis imputatur, & ab auctore defenditur.

118. In his verbis elucet manifesta hœresis; in eo nempe quod dicitur: *proprii conatus actus esse naturales: proprium ita nuncupari, ut quod a natura nobis insitum est, opponatur ei quod est in supernaturali ordine Dei donum:* Atqui in meditatio-

ne discursiva viget ille proprius conatus, illa propria industria, ille proprius labor: ea meditatio ejusmodi actibus conatibusque constat, ex s. Theresia & aliis: Ergo illa meditatio ex naturæ est viribus, non cœleste donum, nullaque est divina operatio, nisi ea quæ discursum excludit. Hoc autem est aperte hæreticum: nec minus ab auctore assertum, quam ex ipso veris spiritualibus, sanctæque Theresiæ tribuendum: ergo & ipse tuetur hæresim, & sanctis spiritualis vitæ magistris imputari cogit.

119. Nec minus hæresim sapit illud: *id quod sit ex nobis tamquam ex nobis:* ad imperfectionem naturalem tantum, non etiam manifeste ad peccatum, ac vitiosum actum pertinere: cum illud *cogitare ex nobis quasi ex nobis*, tamquam a prima & principe caussa, ab ipso Paulo rejectum sit ut vitium: sitque Augustino, aliisque Pelagianismi radix.

II. Corint. III. 5.

CAPUT IV.

De proprio varii sensus: vis liberi arbitrii.

120. In hunc impingit scopulum, dum proprii ideam eam informat, quæ gratiæ supernaturali sit opposita; nec intelligit, quam diversis sensibus proprium appelletur. Primum enim habet quævis anima per liberum arbitrium, teste Tertulliano, *suum & emancipatum a Deo bonum*; *sitque proprietas jam boni in homine* ex potestate arbitrii, *quæ efficeret bonum ut proprium:* ut homo institutione quidem, *sed etiam ex voluntate inveniretur bonus quasi proprietate naturæ.*

Tert. 2. adv. Marc. VII.

121. Procul ergo abeat illud, ut proprium negemus id omne quod supernaturale sit. Procul, ut amputari posse credamus quæ insunt *nobis ex nobis*, quo posito omnem liberi arbitrii usum amputemus. An etiam oblivisci nos oportet Augustini toties inculcantis solemne illud: *consentire vel dissentire propriæ voluntatis est?* ut ipsum proprium inesse libero arbitrio, etiam ex Augustino constet.

Strom. 7.

122. Neque illud *ex nobis* rejici debuit: cum præclare Clemens Alexandrinus dixerit: *liberum arbitrium ex sese moveri:* unde etiam ipsum in græca lingua liberi arbitrii nomen exurgit: & ut ait idem

Strom. 6.

Clemens: *vult Deus nos ex nobismetipsis salvos fieri: natura animæ est a seipsa impelli: incitari*, ὁρμᾶν: unde etiam illud a tota Philosophia celebratum; ex hoc definiri liberum arbitrium, quod sit caussa sui; non tamen prima caussa, ut s. Thomas limitat. Non ergo rejiciendum illud quod nobis sit ex nobis; sed quod sit ex nobis *tamquam ex nobis:* quod caussam primam, nec ad aliam superiorem caussam referendam sonat. (sup. n. 118.)

Rep. a la decl. p. 91. De lib. arb. 2. cap. 5.

123. Frustra ergo auctor ludit passim de illo Augustini loco a nobis toties allegato: *non adjuvat Deus nisi sponte conantem*, ex propria scilicet *voluntate*, in cujus potestate sit consentire, vel dissentire, ut mox vidimus.

I. Cor. IV. 8. VII. 7. II. Cor. V. 10.

124. Quorsum ergo illud proprium, ad imperfectionem, eamque naturalem revocatum, cum ei notioni repugnet Tertullianus, Clemens, alii, ipse etiam Augustinus, ipse etiam Paulus; dum *propriam mercedem*, *propria dona*, *propria in corpore gesta*

(hoc

(hoc est propria merita) *sive bona*, *sive mala* commemorat: ipse etiam Dominus, dum unicuique tribuit *secundum propriam virtutem*: quæ sane proprietas, & per se a natura est, nec abest a perfectis, nec supernaturalibus donis opponitur, sed eorum subjectum & fundamentum est: cum naturam supponat gratia, non tollat.

Matth. XXV. 15.

125. An ergo putas, inquiet, hæc ignorari a nobis? neutiquam: sed puto equidem, vanis tuis mystificationibus abreptum: (patere enim simplices ac liberas voces) nec in promtu habere theologiam etiam vulgatissimam, aut veros mysticos cogitare: id etiam sequentia demonstrabunt.

CAPUT V.

Sancti Bernardi locus: D. Cameracensis manifestus error.

126. Quippe ad sanctum Bernardum provocas. Equidem fateor, ne ab ipso quidem uno eodemque modo accipi proprietatem: quam autem hic memorat auctor, ea est in qua *mercenarius propria trahi cupiditate convincitur*: relicto bono communi quo dilatamur, animus *constringitur*, *coarctatur*: *in proprietate*, *atque ideo in singularitate* versatur; unde extat angulus *ubi sine dubio*, *sordes*, *rubigo*: inest illa cupiditas, a qua secundum Jacobum quisque tentatur, *abstractus & illectus*: inest, inquam, cupiditas, in qua ipse *mercenarius habet legem*, *sed quam sibi fecerit*; quem, inquit Bernardus, *dixerim fecisse suam legem*, *quando communi & æternæ legi*

App. p. 74.

Epist. II. ad Guig. n. 1. 5. de dilig. Deo c. 12. &c.

Jac. I. 14.

Epist. ad Guig. n. 4.

Max. des SS. p. 116.

gi *propriam prætulit voluntatem*. Hæc illa *proprietas*, hæc impuritas est, quam auctor mixtionis, sive imperfectionis tantum, non autem inordinationis appellat: qui manifestus est error; cum sit aperte erroneum si innocuum, ac tantum imperfectum repu- tes id in quo *sordes*, *rubigo*, *propria*, *cupiditas*, *tentans*, *abstrahens*, *illiciens*, *lex propria* in qua *aliud plusquam Deus ita diligitur*, ut communi legi propria voluntas præferatur.

CAPUT VI.

Proprietas sanctorum spiritualium male explosa.

127. Falso ergo prætextu a D. Cameracensi sanctorum spiritualium exclusa proprietas, sive proprius conatus, industria & labor. Duos enim prætextus vidimus: alterum, ex eo quod proprium supernaturali opponatur: alterum, ex auctoritate Bernardi: atqui uterque prætextus manifestum errorem continet ex dictis. Si enim in quocumque actu, ac vel maxime in actu, virtute, eaque christiana prædito, illa est liberi arbitrii agnoscenda proprietas, ex qua ratio meriti existit: quanto magis in actu discursivo ipsa reflexione magis oculato, atque ab ipsa rationali animi parte profecto & imperato, nec tamen eo minus edito, gratiæ operantis atque animum ipsum in sese reflectentis influxu? Quem actum, discursivum scilicet, omnino tollere a vita perfectorum, purum putumque fanatismum sapit.

Sup. cap. 2. & 5.

CA-

CAPUT VII.

Auctoris effugia: inspiratio communis verbo tantum agnita: gratia actualis D. Cameracensi quid sit.

128. Ut igitur auctor ab eo se fanatismo purget, hæc subdit: *Ego vero*, inquit, tantum abest ut *instinctum & raptum* animæ *adstruxerim, insuper habita ratione & prudentia; imo passim statui, indesinenter incedendum via puræ fidei penitus nudæ & obscuræ, in qua tantum affulget lumen cuivis Christiano commune*: quo nihil videtur a fanatismo magis alienum, cum ipse fanatismus nonnisi extraordinaria impressione constare possit, facile autem probat auctor a se ablegatam a perfectorum statu *inspirationem extraordinariam & miraculosam*: nec aliam admissam gratiam, nisi illam ordinariam communem omnibus justis. Ergo procul a fanatismi *impetu & instinctu* abest. Hæc ille.

Ead. app. p. 75.

Ibid. p. 46. 77. 78.

129. Sed profecto non omnia sua bona fide, ut oportebat, exposuit: tacuit enim *gratiam actualem* eam esse, *qua voluntas beneplaciti nobis innotescat*.

Inst. past. p. 8.

130. Quis autem ex theologis id umquam somniavit? Quis gratiæ actuali id tribuit, ut ea nobis *voluntatem beneplaciti*, quæ rerum eventus ordinet, det cognitam? Nempe ejus sententiæ nullum auctorem appellat, nullum appellare potest. Quo ergo nova doctrina, nisi, ut sub gratiæ actualis nomine, involvat inspirationem illam extraordinariam, perfectis revelantem id, quod Deus singulatim de

ipsis

ipsis decreverit, & ab ipsis fieri velit, eoque impellentem: qui merus fanatismus est.

Max. des SS. p. 65. 66. 131. Hinc in libro de doctrina sanctorum, *pro regula posuerat legem scriptam, & gratiam actualem:* cum gratia actualis nemini theologorum sit regula, sed vis ad regulam incitans. Præsul autem primus & solus, nullo theologorum auctore, *vult esse regulam, quod per eam voluntas beneplaciti nobis innotescat.* Inst. past. p. 8.

P. 150. 132. Id autem in libro de doctrina sanctorum subobscure indicaverat, dicens *esse quamdam voluntatem Dei, quæ se nobis ostendat per inspirationem & attractum gratiæ quæ est in omnibus justis.* Sed nondum reserare ausus illud arcanum *gratiæ actualis, qua voluntas beneplaciti singulis innotescat:* quæ doctrina, post quædam obscura tentamenta præmissa, in Instructione pastorali tandem erupit, ut vidimus, sup. n. 128.

Max. des SS. p. 216 217. 133. Quousque autem illa *gratiæ actualis* se vis protendat, auctor tradiderat his verbis: *perfectæ animæ, puerorum instar, se possideri, instrui, ac moveri sinunt in omni occasione per gratiam actualem quæ illis spiritum Dei communicat.* Confuse tunc dictum *de spiritu Dei:* nunc autem in Instructione pastorali palam revelatum; eo quod, cum notitia voluntatis beneplaciti sive singularium eventuum per gratiam actualem indita, simul exerat se spiritus, quo in omni occasione, perfectæ animæ ea quæ ad eventus singulos sint agenda discernant.

134. Jam gratiam actualem etsi eam ordinariam & communem omnibus justis millies nomines, nulla tamen

tamen arte perficies, ut revera non sit extraordinaria: quippe quæ *quocumque casu*, voluntatem beneplaciti perfectis animabus ostendat. Ergo voce tenus inspirationem communem admittis: revera introducis extraordinariam communis gratiæ nomine involutam, palliatam, ut in nostra præfatione gallica adversus Instructionem pastoralem adstruximus.

135. Ex his igitur liquet, introducta inspiratione particulari ad singulos casus, & simul sublatos actus proprii conatus atque industriæ (ex n. 116.) & ipsum fanatismum sub gratiæ actualis nomine latenter invectum; immo vero palam, si rem ipsam, si vim ipsam verborum attenderis.

Præfac. n. CI. p. LXVIII. & suiv.

CAPUT VIII.

De Deo præveniendo.

136. Actus autem proprii conatus ac proprii laboris hi sunt, quibus vigeat illud Davidicum: *præoccupemus faciem ejus: & oratio mea præveniet te.* Deum enim prævenimus, cum ultro vigilamus; ultro nobis attendimus: neque id expectamus, ut Deus palam nos incitet afflatu singulari, gratia scilicet actuali præeunte, qua nobis *quocumque casu* innotescit quid Deus de nobis decernat ac velit: hanc autem verissimam præveniendæ gratiæ rationem auctor infringit, dum universim negat Deum *præoccupari*, *præveniri*, contra Scripturæ expressam auctoritatem; neque *quidquam ex sese, & ex sua industria ac proprio conatu expectari posse, absque latentis Semipelagianismi nota:* quatum sententiarum nunc virus osten-

P. 97.

Ibid.

ostensum est (cap. 3. 4. 6. n. 117. 119. 126. & seq.)

Rep. a la decl. p. 92. 93.

137. Quod ergo fingit auctor novum hæresis genus imputari sibi, nempe quod a Semipelagianis gratiam præveniri docentibus abhorreat, ludit: satis enim novit, nos probe intelligere, Dei latente gratia omnes christianos actus præveniri. Illud quærimus, num expectare otiosi illam gratiam debeamus, & an præveniri nos oporteat præeunte gratia actuali, ea quæ singulis casibus Dei beneplacitum, atque eventuum arcana, & quid in unoquoque casu agendum nobis sit, ostendat. Hæc ergo sunt quæ improbemus: hæc sunt quæ pessimum otium, pessimam gratiæ expectationem, pessimum fanatismum inferant.

Rep. a la decl. p. 93. 94.

De pecc. mer. 2. cap. 5.

138. Quærit operosissime auctor subtilissimus, quid s. Augustinum voluisse arbitremur, cum diceret: *non adjuvat gratia nisi sponte conantem?* An non enim, inquit, etiam sponte conantes, Deus prævenit? Quis enim id theologorum ignorat? Illud vult Augustinus, non esse, ut sponte conemur, expectandam gratiæ palam se exerentis opem; non esse reprehendendum, aliquid expectari ex se, ex propria industria; non esse voces illas proprii conatus, propriæque industriæ ad Semipelagianos ablegandas; non fuisse rejiciendam universim *justitiæ proprietatem* libero arbitrio & propriis conatibus necessario conjunctam, ut diximus (cap. 3. 4. 6.) hæc nos Augustinum secuti, in novo systemate erroris arguimus.

Rep. a la decl.

139. Ne ergo se præsul torqueat his quæstionibus: quid in me reprehendunt? Palam enim dicimus:

te

te reprehendimus in propriis conatibus naturalibus extinguendis ita laborantem, ut omnes pariter nostros proprios conatus extinguas. Cum enim a naturalibus conatibus supernaturales internosci non possint, sublatis universim conatibus, laboribus, industria propria, universos liberi arbitrii conatus in ruinam trahis: ad gratiam actualem divini beneplaciti arcana reserantem nos remittis: his manifeste fanatismum foves.

140. Sic soles, dolens dico, sic soles: sic a perfectis excludi jubes æternæ beatitudinis, ac promissorum quoque amorem naturalem, quo sub titulo demonstravi necessario deveniri ad extinguendum etiam supernaturalem, qui a naturali discerni nulla industria possit: sic etiam in auferendo conatu naturali laboras, ut eo sublato nullum deinde conatum proprium superesse constet: ac nihil perfectis suppetere præter instinctum fanaticum.

Pref. n.121. 122. p. clx. clxv. & seqq. Vid. inter gallica scripta, pref. a n. 58. 59. usque ad 61.

CAPUT IX.

De actibus reflexis ad instinctum Fanaticum ablegatis.

141. De reflexis actibus hæc habet: *animæ perfectæ cum sint per se se indifferentes ad actus directos aut reflexos, hos edunt cum vel præceptum ad id urget, vel gratiæ attractus impellit:* præcepti autem casus urgens ad reflexos actus vix ac ne vix quidem invenitur: ergo expectandus ille quem vidimus gratiæ actualis beneplacitum divinum indicantis motus: nulla prudentiæ ratio adhibenda, sive ad

Max. der SS. p. 117. 118.

gra-

gratiarum actiones, sive ad lectiones pias, sive ad cautiones vitæ humanæ tot inter pericula necessarias, sive, quod est maximum, ad virtutum ultro & propria sollicitudine incitanda studia. In his, quæ vel potissimam faciunt vitæ christianæ partem, non regimur ratione vel prudentia, sed instinctu & impetu: quod ad fanatismum ducit.

CAPUT X.

De præcepti casu.

Max. des SS. pp. 117. Ead. app. p. 171. 80. 81.

142. Quod autem præcepti casum hic & alibi auctor excipit, nihil est: *hic*, inquit, *mirari mihi liceat, quod antistes perspicacissimus & eruditissimus, in libello carpendo sibi ipsi adeo indulserit, ut hæc proferat vocibus absolutis, & sine ulla restrictione, aut temperamento:* vanaque est exceptio de præcepti casu, qui in præceptis affirmativis rarissimus est, ac vix umquam ad certa momenta revocandus: quo fit, ut animæ in aliis quibusque momentis non se ratione aut prudentia (christiana), sed impetu rapi velint ac putent. Hæc ille sibi a me objecta memorat: mea verba recognosco in Summa doctrinæ. Verum non advertit gravis monitor vocem illam meam, *ad certa momenta*, semel atque iterum inculcatam: quis enim, si res ad momenta redigatur, quis certa momenta assignaverit; quis dies certos, quis horas queis sub pœna peccati, fidem, spem, caritatem, pœnitendi, precandique, ac res divinas considerandi actus exerceas? Si ad exteriora veniamus; quis præscripserit qua hora præcise in diebus festis

Summa doct. n. 15.

festis sacræ Missæ assistas? Hæc ergo omnia instinctui permittes: ut omittant consilii res, connubium, cœlibatum, totum directionis ordinem, eleemosynas absque gravi illa necessitate faciendas; quibus si addideris reflexos actus supra memoratos, cautiones, lectiones, gratiarum actiones, reliqua ejusmodi innumerabilia, vides impulsibus particularibus nihil esse subtractum.

143. Pergit: *Si hanc propositionem in Casuistæ cujusvis operibus legeret* (Meldensis Episcopus) *continuo hanc ut laxiorem, & evangelio infensam censura gravissima protereret:* postea: *tantus præsul apprime novit quid in hac materia Summus Pontifex Innocentius XI. severissime condemnaverit.* Novi equidem: novi & Alexandri VIII. de præcepto amandi frequentando diligentissimum sanctissimumque decretum: his obsecutus præceptorum affirmantium certissimam legem in meo quoque catechismo tradidi: non propterea certa momenta plerumque indicari posse, aut ego aut quisquam hominum credidimus. *Magistrum revereor*, inquit, *& sileo:* me enim voluit hoc etiam nomine compellatum: at ego gratiis actis id unum supplico, ne mihi falsa imputentur: neve, quod neque ego neque ipse certa illa momenta præceptis affirmativis assignare possimus, ideo puro manifestoque fanatismo singula momenta, instinctibus, impulsibusque particularibus, insuper habita prudentiæ christianæ ratione, relinquamus; quod unum egisse me, prolatæ objectionis verba testantur.

Ead. app. p. 80. 81.

Ibid.

Sup n. 131.

ARTICULUS III.

De Contemplatione: ibi quoque Fanatismus.

CAPUT PRIMUM.

De transitu ad purum amorem.

144. Transitum ab amore mixto ad purum amorem quo constat contemplatio, aperto fanatismo tribui, ex his verbis patet: *id quod in directione essentiale est, hoc est, ut nihil aliud facias quam gratiæ sequi singula vestigia: iisque te finibus coerceas, ut sinas agere Deum, neque umquam de puro amore verba facias, nisi ei, cujus jam unctio cor aperuerit illi verbo quod adeo durum est animabus adhuc sibi adhærescentibus, quodque eas in scandalum perturbationemque conjiceret.* Ergo purus amor is est, quem docere sit vetitum: non hic valet illud: *quomodo audient sine prædicante?* Dei instinctui soli permittenda res: alioqui turbæ, scandala ineluctabilia orientur: quod quid aliud quam fanatismus est, ut etiam alibi demonstratum?

Max. des SS. p. 35.

Declar. p. 10. pref. n. 60 p. lxviij.

CAPUT II.

Vitilitigationes auctoris: male allegati Patres.

145. Ad hæc tergiversatur auctor, neque quidquam aliud: id enim ait intelligendum *de quadam œconomia, de quodam arcano usitato sanctis circa probationes extremas & sublime puri amoris exercitium:* cujus

Rep. a la decl. p. 112. Inst. past. p. 44. 51.

cujus rei Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Cassianum, alios in Instructione pastorali appellatos testes adducit: quid nostra? Id sufficit: non oportere de his verba fieri ad quemquam: totum relinquendum Deo: sinendum ut agat prout ipse voluerit: expectandum attractum gratiæ actualis, illius scilicet antea explicatæ: atqui hæc ipsissima sunt, quæ nos mero instinctui ac fanatismo tribuimus.

146. Quamquam nec loci patrum allegati, ad illud arcanum quidquam faciunt: nempe ait Gregorius Nazianzenus de illo Pauli anathemate, *ausum aliquid esse Paulum, & se quoque audere*: ergo illud arcanum est: quæ illa consecutio? rem maximam, rem arduam Gregorii Nazianzeni verba indicant: non profecto arcanam, quam toti plebi explicabat, idque tribus locis alibi a me citatis, quibus tota sancti Patris interpretatio longe a D. Cameracensis mente diversa memoratur.

Orat. 1. p. 24 edit Morel.

Pref. sect. 13. n. 140.

147. Quid autem Chrysostomi locus ex homilia 6. ad Romanos ab auctore allegatus? nempe istud: *quæ homilia præcedente dixisset, magna & supra naturæ captum: quæ jam dicturus esset, majora, & longe magis exsuperantia omnem dicendi facultatem*. Ergo nova, arcana, inaudita, occultanda, licet in ipsa urbe regia tantæ multitudini prædicata, ita commentatur auctor, sed Joanne Chrysostomo palam reclamante.

Chrys. Hom. 16. in Ep. ad Rom. init.

148. At enim Cassianus ab auctore memoratus arcanas eremi traditiones refert: sane refert: *at de puro amore & contemplatione continua*: sic quidem affirmat

Rep. a la decl. p. 111.

auctor; sed falso: agitur de quibusdam ritibus, ac methodis exercendæ, sive assequendæ orationis continuæ, quantum in hac vita fas est, deque ejus rei gratia frequentando Psalmo lxxix. *Deus in adjutorium*, cui connectantur variæ, & quodammodo perpetes cogitationes: de his, inquam, agitur tantum. Lege Lector diligens relatam a præsule collationem, nihil aliud reperies. De Gersone autem; ab eo supponit auctor vitam mysticam in puro amore collocatam: quod falsum esse constitit (art. 1. n. 40.) omnino quicumque theologiam mysticam occultandam putant, ii procul absunt ab ea reponenda in puro amore, qui supra tecta prædicandus. Quare quidquid respondet auctor mera vitilitigatio est: qua contempta merus nobis ad ineundum puri amoris exercitium fanatismus relinquitur.

Coll. x. cap. 8. & 10.

Rep. à la decl. ibid.

CAPUT III.

De contemplatione Christi, ac personarum, attributorumque divinorum.

149. Primum, supponenda de contemplatione Christi sententia falsorum spiritualium, a nobis alibi in Instructione scilicet super orationis statibus explicata, quorum hæc summa est: *unionem personalem cum Christo homine in imperfectis statibus celebratam, cum ad ipsum Deum anima pervenerit, omittendam: in summo perfectionis gradu quo anima refluit in Deum, tota eam esse immersam ac perditam in Deo, ita ut amittat etiam omnem visum Dei a se perceptum; & quamvis distinctam cognitionem, quantum-*

Inst. sur les etats, &c. liv. 2. n. 2. 3.

Ibid. n. 4.

tumcumque exigua sit: quo attributa omnia personæ divinæ, adeoque ipse Christus excluditur. Huc accedit illud: *animam, abjecta per totos decem ac viginti annos omni cogitatione de Christi statibus, omnem eorum virtutem in se reperire, etiamsi per totam viam omni visu distincto Christi careat,* nec de eo loquatur aut cogitet: itaque tunc non aliter de Christo *cogitatur, quam eo quod sub Dei ipsius aspectu* (confuso illo & vago) *comprehendatur Christus, neque mediis* (hoc est Christo ipso mediatore) *utendum, cum ad finem perventum est:* quo etiam necesse sit vigere *fidem unam quæ nullam perfectionem & attributorum distinctionem admittat.* Hæc igitur est novorum spiritualium doctrina: ita Molinosus, ita Malavallus, ita vel maxime falsa prophetis illa, quæ apud nos dux quietismi fuit. His autem quas excusationes auctor, quæ fulcimenta quæsiverit, nunc ostendere necesse est.

Ibid. n. 4.

Ibid. n. 7. 8. 9.

CAPUT IV.

Præsulis sententia & cavillationes.

150. D. Cameracensis hæc verba sunt: *Contemplatio pura & directa, negativa est in eo quod non sese occupet voluntarie ulla sensibili idea, imagine ulla distincta & nominabili: sed supra omne sensibile & distinctum sola idea pure intellectuali & abstracta entis illimitati.* En igitur quo *voluntarie* contemplatio pura directaque occupetur.

Max. des SS, p. 186.

151. Hic auctor duo facit: primum, ut definiat contemplationem puram & directam esse negativam;

 dein-

deinde, ut doceat qua ex re præcise negativa intelligatur: ut profecto constet, contemplationem, quæ non eo modo negativa sit, impuram, hoc est mixtam atque compositam, indirectamque haberi.

Rep. à la decl. p. 74. 75. 152. Hic auctor cavillatur in hunc modum: *nullibi a me dictum; contemplationem cum pura directaque est, non se voluntarie occupare imagine sensibili, ideaque ulla distincta*. Contra: tu dixisti: *contemplationem puram & directam esse negativam*, quod universim dictum nemo non videt.

Rep. à la decl. 75. Max. des SS. 188. 153. Instas: *non id dicere potui, cum dixerim, contemplationem puram & directam admittere omnia objecta, quæ pura fides offerre potest*, citasque locum ex lib. de doctrina sanctorum qui est p. 188. recte: at non erat omittendum id quod eo loci addis: illa

Ibid. 189. objecta admitti, *quæ Deus ipse offert, & quibus anima non occupatur nisi impressione gratiæ*: utique singularis, quæ nisi hic intelligatur nihil est, cum ubique sit necessarius gratiæ communis influxus. Ita omnia tibi apprime constant, valetque illud tuum,

Ibid. 186. non occupari animam, *voluntarie* quidem, *nisi ente illimitato, non ulla idea distincta*: & tamen occu-

Ibid. 188. pari aliis quoque *objectis, atque ideis distinctis*; sed si Deus offerat, eoque animam adigat, *illa impressione gratiæ* actualis quam vidimus: qua quippe beneplaciti voluntas nobis innotescat (sup. art. 2. cap. 7. n. 27. & seq.)

Rep. à la decl. p. 77. 154. Falsum ergo illud quod dicis: *contemplatio pura & directa quandoque negativa est*: contra enim definisti *universim, contemplationem puram & directam negativam esse*: tum etiam præcise in quo

nega-

negativa sit. Ergo contemplatio pura directaque est illa quæ *voluntarie* ente tantum abstractissimo occupetur: nec cæteris objectis ideisque distinctis, *nisi offerente Deo, & ex impressione gratiæ* singularis.

155. At negas a te assertam *impressionem illam gratiæ singularis*; *negas exclusam propriam electionem*. Quid igitur significat illud, contemplationem *voluntarie* quidem non nisi illimitata & abstractissima entis ratione occupari, cæteris vero objectis non nisi *impressione gratiæ & offerente Deo?* Quid est illud, inquam, offerente Deo? an non Deus offert illam quoque abstractissimam rationem entis? an non illi intervenit gratiæ communis impressio? an non intervenit omnibus actibus, & inter contemplandum & extra contemplationem? Si non ergo hic aliud postulas, si non impressionem gratiæ singularis intendis, plane vacat illa gratiæ impressio, quam hic singulatim requiris, & actui animæ *se se voluntarie* occupantis opponis.

Rep. a la decl. p. 82.

156. *At enim*, inquit, *non exclusi propriam electionem*: ea voce scilicet, fateor: at vero exclusisti conatum proprium, laborem proprium, propriam industriam: at induxisti gratiam actualem, omnia singulatim omnique casu ostendentem, quæ Deus velit beneplacito suo: at his duobus dogmatibus induxisti fanatismum, quem hic quoque ad contemplationis objecta seligenda pertinere constet.

Rep. a la decl. p. 82.

157. Frustra objicit, a Meldensi quoque admitti *contemplationem, quæ se ente illimitato & abstractissimis rationibus aliquando occupet*. Quis enim eam negaverit aut ignoraverit? absit autem ut dixerim,

Rep. a la decl. p. 77. & seq.

 rim,

rim, illo quidem objecto *voluntarie* animum occupari, aliis vero Deo imprimente, instigante, ac movente singulares affectus: tamquam animus per se generalibus tantum & indistinctis rationibus occupetur; divinis vero attributis, divinis personis, ipso Christo adhærescat, non sponte & ipsa consiliante prudentia: non pure: sed si impellatur, si impressione & impetu agatur: quo fit, ut Christus tantaque illa objecta ipsa contemplatione non satis, per se se digna videantur. Id ergo bonus Deus avertat a nobis, quod puri quietismi est, ut vidimus.

CAPUT V.

De Christo subtracto perfectis animabus, auctoris effugia.

158. Jam quod perfectis animabus nempe contemplatricibus subtrahatur Christus, hæc verba auctoris probant: *animæ contemplatrices privantur visu distincto sensibili & reflexo Christi.* Hic auctor conqueritur de suppressis hic vocibus, *sensibili & reflexo*, cur *autem eas voces*, inquit, *prælati omiserunt*, ac *tantum retulerunt visu Christi distincto privatas animas?* Cur? quia nempe hæc auctor ipse separat. Subdit enim: *animæ non sunt privatæ in perpetuum, visu simplici & distincto Christi*: ergo privantur eo, eo, inquam *visu simplici & distincto*, licet non in perpetuum. Rursus: *initio ferventis contemplationis, non repræsentatur Deus nisi ratione confusa: anima se recolligens tamquam absorpta gustu sensibili non potest occupari distinctis visibus*, quales sunt at-

* Max. des SS. p. 194.

Max. des SS. p. 194.

Ibid.

tri-

tributorum, divinarum personarum, ipsiusque Christi: procul ergo est ab illius status conditione Christus distincte visus, *idem*, inquit, *evenit in extremis probationibus*. Tum: *his duobus exceptis casibus, anima vel excelsissima potest occupari Christo præsente per fidem:* ergo in illis casibus *Christo præsente per fidem* anima occupari non potest. Christus autem *præsens per fidem*, is ipse est Christus, quem tenemur juxta Paulum habere *inhabitantem*, cujus *inhabitationis fides* Christi est medium: quæ tamen abesse fingitur. Denique *inter contemplationis intervalla, ubi cessat pura contemplatio, anima adhuc Christo* (per fidem præsente) *occupari potest*. Ergo extra illa intervalla, cum viget pura contemplatio, occupari non potest. Hæc sunt, quæ quietismum foveant, aperte introducant.

Ibid. p. 195.

Eph. III. 17.

Max. des SS. ibid.

159. Neque audiendum illud: *non*, inquit, *adhibui particulas exclusivas*: sed tamen verbis illis inest exclusio: *cessante contemplatione pura, anima adhuc Christo per fidem occupari potest:* claraque est consecutio: ergo in contemplatione pura occupari non potest.

Rep. a la decl. p. 80.

160. Pergit: *atqui addidi*, inquit, *animas in altissimo contemplationis gradu constitutas eas esse quæ Christo vel maxime occupentur*. Extra hos duos casus scilicet, & adhuc inter ipsa intervalla, pura contemplatione cessante, nec aliter, aut alio modo: neque ad aliud valet illud *adhuc*, quo refugit auctor, nisi ut intelligatur, vere his duobus casibus subtrahi Christum: & etiam extra illos duos casus, etsi tamen a contemplatione pura, non ab intervallis puræ ora-

Rep. a la decl. p. 80. Max. des SS. p. 196.

Ibid.

tio-

tionis posse subduci: quæ auctorem nedum excusent, magis magisque gravant, ut vidimus.

CAPUT VI.

De duobus casibus, quibus Christus subtrahatur: auctoris labor & ludibria.

161. Quantum in his difficultatibus resolvendis laboret auctor, hæc Instructionis pastoralis responsa docent: *hæ Christi subtractiones sive privationes*, inquit, *non sunt reales*, *sed apparentes:* in his licet nec fides inveniatur illa quæ Christum *præsentem reddat: sunt transitoriæ:* quæ duos integros status nempe initia contemplandi & probationes extremas & præterea contemplationis puræ directæque tempus implent: *diuturnæ non sunt & Christus mox redibit:* ergo aberat, a mente & cogitatione discesserat: *probationes per se sunt breves; saltem illud extremum:* quis enim legem Deo fixit, ne quantum voluerit & quandiu voluerit probet animas? Quis Theresiam quindecim, imo ut ipsa memorat, duos & viginti fere annos inter ariditates detinuit, nisi Deus? *sunt intervalla quædam in illis probationibus:* sed horum intercapedinem quis mensus est? ut & illud omittam, *variis causis effici ut sint prolixissimæ:* sed esto probationes sint breves: an D. Cameracensi excidit, *transitum ad contemplationem ordinarie esse longum*, quo spatio anima de Christo cogitare non possit? an tantum archiepiscopum a Christo per fidem præsente discedentibus has excusationes quærere opor-

Inst. past. p. 12.

Ibid. 11.

Max. 75. & 79.
Inst. past. errata, sur la p. 11.
Lett. 19. n. 2.

Inst. past. ibid.

Max. pag. 275.

oportebat? dolendum sanæ, dolendum, nec piæ lacrimæ hic cessaverint.

162. At enim accusari non debuit tam *horrendi erroris*, de Christo a contemplatione secluso, nisi *prolatis ejus expressissimis verbis?* quid si de re tanta tamque perspicua ambigue scripsit, cum perspicue deberet ac posset? quid si aperte suffragari non ausus, tamen occultis molitionibus tam noxio Quietistarum errori colorem, fucumque quæsivit? Non erat scrutanda veneni sedes? non erant persecandi sinus? sed nunc hæc vacant, cum auctorem apertis verbis, totaque doctrinæ serie deprehensum teneamus, ac nihil nisi ludibria respondentem: quæ nos & in Præfatione nostra gallicana fuse persecuti sumus, & in articulo Issiacensi XXIV. antea proscripsimus.

Rep. a la decl. p. 81.

Pref. n. 51. & seq. 105. & seq. Avert. n. 6. art. d'Issy 24.

CAPUT VII.

S. Theresiæ, & *B. Joannis a Cruce clara sententia.*

163. Nunc deprehenso auctoris errore, quam ex adverso stet contra sanctam Theresiam, norunt omnes: pauca ergo delibare juvat, tamquam ex favo dulcissimo. Sancta Theresia initio a Christi humanitate sese abstrahebat, *cujus insaniæ non sine gravissimo dolore recordetur*, *tamquam prodito Christo per ignorantiam*. Subdit: *fieri ne potest*, *subiisse in mentem*, *ut vel unius horæ spatio tu mihi Christe*, *ad veram pietatem obstaculo fuisse videaris?* Ecce nec per horam unam sustinet mente abesse a Christo, nedum per spatia duplicis integri status, aut quocumque tempore viget pura contemplatio: ac pro-

Vie, ch. 22. p. 129.

Ibid. 127.

proinde deplorat *tantam cæcitatem:* ab eaque avertit eum ad quem scribit, *allato Pauli, aliorumque sanctorum contemplatorum exemplo, qui Christi nomen numquam non in ore habebant.*

Ibid. 118.

164. Sane confitetur, *cum Deus suspendit omnes animæ facultates in variis orationis generibus, tunc amitti Christi ut hominis præsentiam*, eam quam intellectu complectimur: nec tamen Christum tunc omittimus, *cum toti ad amandum eum animum convertamus:* addit, *qui mentem abstrahant ab intuenda humanitate, gradi per aera nullo fulcimento quamquam Deo pleni sibi videantur*. Ex quo etiam infert, animam *ordinarie indigere eo sustentaculo præsertim in pœnis, in laboribus, in persecutionibus, in ariditatibus:* hoc est profecto in probationibus: quo vel maxime tempore præsul a Christo nos avocat.

Ibid. 119.

Ibid.

Ibid. 130.

165. Alio loco hæc habet: *mihi quidam persuadere voluerunt, utilius esse animæ perfectiori, ut occupetur divinitate tantum, seclusis corporalibus, sed numquam in eam persuasionem adducar: quippe quæ experta sim, hac via dæmonem me voluisse deceptam: a qua via proinde caveri oporteat, neque credi cuiquam talia suadenti*: adeo ab eorum auctoritate abhorrebat: neque cunctatur modestissima virgo hanc viam *periculosissimam* pronuntiare, quippe qua dæmon utatur, *ad extinguendum sacræ Eucharistiæ gustum*.

c. dem. ch. 7. p. 781.

166. Notandum autem illud, interdum suspendi sacratissimæ humanitatis intuitum: sic tamen ut in eam prius & assidue visam, ac penitus animo comprehensam, voluntas toto amore inardescat, ut dictum est.

167.

167. Hanc secutus vir beatus Joannes a Cruce, sic docet: *quod studeamus oblivisci figuras, numquam intelligitur de Christo, ejusque humanitate: quamquam enim interdum in sublimi contemplationis arce, & in simplici divinitatis intuitu, hujus humanitatis anima non recordetur: nulla tamen adhibenda cura est, ut ea omittatur, eo quod ejus visus ac meditatio amatoria ad omne bonum auxilio sit, per eamque facilius ascendamus ad sublimissimum unionis gradum: cum aliæ quidem corporales formæ impedimento sint: sed non ille qui seipsum fecit hominem, quia ipse est veritas, ostium, via, & dux ad bonum.*

Mont. Carm. liv. 3. ch. 1. p. 155.

168. Dicent a beato viro id tantum caveri, *ne curam adhibeamus ad Christum incarnatum omittendum*. Verum advertenda causa ejus consilii, quod nempe Christus incarnatus ad omne opus bonum, & ad ipsam excelsissimam unionem adjuvet: quo fit, ut nusquam impedimento esse possit.

169. Quare, cum formarum recordationem aufert: *Deum incarnatum excipit, cujus recordatio semper adjuvat ad finem consequendum; quippe cum hic via sit, dux & fons omnis boni*. Qui autem semper adjuvat, nusquam officit, nusquam obstaculo est.

Ibid. ch. 14. p. 172.

170. De reliquis nulla est difficultas, cum certum sit contemplatione Christi alias duas personas divinas, atque adeo omnia divina attributa introduci: *ut sapientiam & divina judicia, ac prædestinationis, præscientiæque altissima arcana*; quemadmodum idem vir beatus docet, & sic in animam maxima licet abstractione suspensam per Christi mysteria perfectiones

Vive flame Cant. 2. p. 512.

Expl. du Cant. p. 482.

nes Dei, personæque divinæ assidue reducuntur: nec a mente discedunt.

CAPUT VIII.

Conclusio & recapitulatio hujus primæ partis.

171. Videt ergo lector diligens, de tribus vel gravissimis articulis, quibus fere tota vitæ spiritualis ratio continetur, quam D. Cameracensis sanctæ Theresiæ, B. Joanni a Cruce, cæteris probis mysticis adversa fronte concurrat, qui favere se velle profitebatur: adeoque abesse, ut damnato libello præsulis aliquid illis metuendum veniat, ut contra probato, illi sanctissimi auctores non nisi improbari possint.

172. Nunc juvat quæ dicta sunt repetere paucis: primo quidem articulo hæc vidimus: in oratione quietis, suspendi, ligari, impediri per certa momenta divina operatione animæ facultates: eam orationem ideo supernaturalem dici, quod supra communem discurrendi viam a Deo elevetur per illud auxilium, quod sit extraordinarium ac supra communes gratias: non ergo operationem hanc ab ejus gratiæ quæ sit communis omnibus justis inspiratione pendere.

173. Quod auctor in viis spiritualibus agnoscat *impotentias*, sed improprie dictas, manifestam esse cavillationem, quæ vim verborum eludat, cum etiam B. Joannes a Cruce de illa impotentia meditandi & discurrendi loquens, quæ sit nota transitus ad contemplationem clare dicat: *tunc animam nec si velit meditari posse:* quo nihil est significantius ad veram im-

Vive flame, Cant. 1. 3. v. §. 6. p. 516.

impotentiam designandam: atque hac etiam voce usam esse S. Theresiam, alibi observavimus.

174. Neque omittendum, me nihil aliud quam sanctorum verba exscribentem, fanatismi accusatum: quæ accusatio redundet in eos, quorum exprimo disertas, planasque sententias.

175. Secundo articulo, auctoris contra omnium spiritualium doctrinam excludentis actus proprii laboris, proprii conatus, propriæ industriæ, & sub gratiæ actualis nomine omnia ad inspirationem extraordinariam revocantis, purum putumque fanatismum ostendimus.

6. dem. ch. 7. p. 786.

176. Tertio articulo, de subtracto Christo, ac divinis attributis, divinisque personis a pura contemplatione quietisticum errorem, s. Theresiæ ac Joanni a Cruce penitus repugnantem, deprehendi: quæ hac prima parte demonstranda susceperam.

PARS

PARS SECUNDA,

In qua solvuntur spiritualium auctoritates a D. Cameracensi objectæ.

CAPUT PRIMUM.

Primus locus ex s. Theresia.

177. Jam expendamus locos, quibus auctor approbat suam sententiam. Primus iste ex s. Theresiæ sexta mansione: *animæ hujus status vellent, ut videret Deus, sese non ei famulari spe mercedis*: quem locum sic urget præsul: *an vult Sancta dicere vel illas animas Deo ostendere a se rejici spem? absit ab ea talis impietas: ergo hic spectatur merces tamquam objectum affectus naturalis & mercenarii.*

Inst. past. p. 71. 2. lett. a M. de P. p. 40. Chnst. de l'ame dem. 6. ob. 9. p. 709.

178. Ego vero quæro primum, utrum hujus affectus naturalis, sancta virgo Theresia ullam umquam fecerit mentionem? si quam: locos proferat: nullum autem protulit, ac ne tentavit quidem. Si nullam, ergo illam interpretatur ex libito suo, non ex illius dictis.

179. Quæro iterum, an B. Theresia ita nolit *famulari Deo spe mercedis*, ut eam ipsa spes ne quidem *cohortetur ad currendum stadium?* Hoc si voluit, palam adversatur Concilio Tridentino definienti valere spem, *ut justi suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc imprimis ut glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam:* cujus rei exemplum Moy-

Sess. V. 1. cap. 11.

Moysen & Davidem præbent Tridentini Patres. Ergo s. Theresia his potior, nec doctrina concilii, nec horum exemplo uteretur, quod nemo dixerit.

180. In promtu ergo est beatæ virginis sensus: *non vult se famulari Deo spe mercedis*, tamquam solo vel præcipuo motivo, certum: tamquam & illa spes nullum sit motivum cohortans & invitans, falsum & hæreticum.

181. Nihil igitur ad rem facit *affectus naturalis*, nisi ad infringendam s. Theresiæ sententiam: illa enim, non affectum tantum naturalem, de quo nec umquam cogitavit, supernæ felicitatis excludit; sed ipsam spem supernaturalem mercedis æternæ, ut quidem esset finis ultimus, aut motivum primarium ac præcipuum: quod est ab omnibus theologis traditum.

182. Quod ergo Sancta subdit: *has animas non cogitare de gloria assequenda*, tamquam de motivo, *quo magis incitentur*, Tridentino concilio, & sanctorum exemplis esset contrarium, nisi eo modo sumtum, quo diximus.

183. Nec aliter intelligendus huc collatus Bernardi locus: *purus amor de spe vires non sumit:* non sumit præcipuas, vel maximas: fateor, non sumit ullas: falsum & hæreticum.

Inst. past. 74. Serm 83. in Cant. n. 5.

CAPUT II.

De affectu naturali.

184. De affectu naturali, quo uno se auctor nunc expedit, sæpe diximus: hic autem quærimus tantum,

Sess. VI. cap. 11. an hujus affectus concilium Tridentinum loco allegato mentionem faciat? nullam autem facit, sed vim spei explicans, in eo reponit illam, *ut nos excitet, cohortetur mercedis intuitu, cum hoc ut imprimis glorificetur Deus:* ergo vacant reliqua, nec affectus naturalis ullam rationem habere non oportet.

Inst. past. p. 10. 18. Max. des SS. p. 75. 185. Jam, quod auctor *commodi proprii* nomine affectum illum *naturalem* semper & ubique a se intellectum profitetur, manifeste falsum. Agnoscit enim *commodum proprium æternum*, quod abdicari vult *absque ulla spe:* commodum autem æternum, præter salutem æternam, nullum est. Idem efficit illa vox: Ibid. p. 90. *Fit sacrificium absolutum commodi proprii in æternum:* illud enim quod objicitur respectu æternitatis non nisi æternum est. Non ergo hic intelligitur affectus naturalis, qui non potest esse nisi temporarius.

186. Sane homine justo nihil est æternum, nisi vel Dei possessio, vel de Deo possesso gaudium & delectatio. Atqui neutrum eorum est ex affectu naturali: neutrum eorum aut in patria exscindendum, aut in via contemnendum. Non ergo commodum proprium æternum, affectus naturalis est, aut aliud quidquam quam ipsa beata æternitas, cujus studium exerceri, non infringi oportet.

CAPUT III.

Quod ille affectus naturalis ex ipso auctore sit inutilis.

Resp. ad Summa Doctr. p. 3. 187. D. Cameracensis hæc sunt in responsione ad summam doctrinæ: *Fatetur D. Episcopus Meldensis*

scho-

scholas communiter tradere, caritatem spectare Deum in se ipso amore absoluto ac libero ab omni respectu ad nos. Subdit: *eam definitionem si semel admiseris, uno Issiacensi art. 13. indiget systema meum.* Duo ergo sunt capita quibus illud continetur: nempe definitione caritatis, & Issiacensi articulo illo 13.

Ibid. p. 8.

188. Atqui affectus naturalis ad ea duo est inutilis. Non enim amamus Deum; *sine ullo respectu ad nos*, affectu naturali. Non etiam est naturalis caritas illa quæ *benigna est, quæ patiens, quæ omnia credit, sperat, sustinet*; de qua agit Paulus; de qua una tractatur Issiacensi art. 13.? atqui ad hæc duo capita, *totum systema* revocatur: non *ulla alia re indiget*: non ergo indiget illo amore naturali; isque ad explicandam Theresiam perperam adducitur.

I. Corinth. XIII.

CAPUT IV.

Secundus locus s. Theresiæ.

189. Ex eadem mansione 6. secundus affertur is beatæ virginis locus: *anima non se incitat spe adipiscendæ gloriæ: verum id unum cogitat, ut suo amori satisfaciat; cujus natura est, ut semper operetur mille modis. Si posset anima, mille inventa quæreret, ut se se ipso amore consumeret: si id necessarium ad majorem Dei gloriam, ut æternum in nihilo remaneret; ex animo consentiret.*

6. dem. ch. 10. p. 700.

CAPUT V.

De suspensionibus impossibilibus: auctoris manifestæ calumniæ.

190. Hic locus pertinet ad suppositiones illas impossibiles, de quibus cum multa tradiderimus, sanctæque Theresiæ locos late pertractaverimus, nunc ad hæc capita summam doctrinæ nostræ referemus.

Instr. des etats d'or liv. 9. n. 3. p. 342. n. 4. p. 348 liv. 10. n. 19. p. 429. art. 31. d'Issy ibid. p. 197.

191. Primum, hæ suppositiones nihil nobis adversantur, quas annotatis ad marginem locis, & ultro recepimus, & sanctorum auctoritatibus asseruimus; quare miror ita nobiscum agi, tamquam eas improbemus.

Rep. a la decl p. 149

192. Secundo, has etsi velleitates diximus, non tamen eis meritum detraximus, quas magnis animabus, Moysi, Paulo, cæteris, a sanctis attributas esse, monuimus.

193. Tertio, male imputatur nobis a D. Cameracensi, Paulo & Moysi, aliisque piis animabus per illas suppositiones impossibiles attributas *pias ineptias*, *pios excessus*, *pia deliria*, *inanes argutias*, *quodque est gravissimum*, *inordinatos affectus*. Ego autem ut pios excessus, nec tamen extra fines debitos, non denegaverim sanctis cum Paulo *mente excedentibus*, & in *excessu suo* cum sancto Davide multa dicentibus; *ita inanes argutias*, *ineptias*, deliria, inordinatos affectus, etiam Paulo & Moysi a me fuisse imputatos, dolens dico, aperta calumnia est, pessimo exemplo ab antistite illata antistiti: vel ergo proferat locum, vel inficietur indignam in fratrem contumeliam.

Resp. ad Summa, p. 19. 26. 49 &c.
Rep. a la decl. p. 149.
II. Cor. V.
11. Ps. CXV.

liam.

liam. Notat quidem ad latus paginam meam 443. ut ostendat hæc a me inter absurda reputari; sed falso: lege lector, nihil invenies præter *pios excessus* quos sibi ipse Paulus, ipse David attribuunt. Quod si cuiquam sanctorum attribuere videor *amatorias amentias:* id primum nec meo nomine, nec pravo sensu dictum, cum etiam ejusmodi *amentias* sponsæ ipsi, atque animis sancto amore percitis, non Bernardus, non alii optimo sensu imputare vereantur.

Rep. a la decl. p. 140.

Inst. sur les etats d'or. n. 1. p. 131.

194. Quarto, numquam dissensi ab auctore asserente *velleitates* de re impossibili, ut gravissimo peccato, ita etiam maximo merito imputari posse. Quis enim hoc ab Augustino, immo ab omnibus theologis non didicit, peccare gravissime prava cupientem si per impossibile impunita essent? quod quidem ad bonum ut in malum valere, absit ut negaverim.

Rep. a la decl. p. 149. 151.

195. Quinto, *velleitatis* nomen adhibui, ut docerem ejusmodi voluntatem etiam abdicandæ salutis, (quoad quosdam effectus si possibile esset) cum ea voluntas absoluta & perfecta non sit, facile conjungi posse cum absoluta; & perfecta voluntate volendi salutem: quin ipsum illud *vellem pro Deo salutem, quoad quosdam effectus abdicare*, est revera velle salutem ipsam, quam te nolle non posse fatearis. Quare si quis diceret: vellem propter Deum non esse beatus si id velle possem, aut si Deo placeret, illo ipso actu clamat se beatum esse velle, & nolle non posse; adeo nullus actus a beatitudinis voto est vacuus.

196. Igitur, quod sexto loco dixerim, in eo actu *vellem pro gloria Dei carere optata beatitudine, si*

fieri posset, inest duplex meritum: & illud optandæ salutis, & illud anteponendæ divinæ voluntatis, si talis esse posset.

197. Denique non idem valet: si quis ita diceret, *vellem delectari quocumque peccato, si impunitum esse posset*. In eo enim actu meritum omnino esset malum: cujus rei ratio est, quod duo bona merita inter se compati possint, non possint autem componi & compati in eodem actu meritum bonum & malum: ac per has propositiones septem patet responsio ad omnia objecta, quæ oriri possunt ex suppositionibus impossibilibus.

CAPUT VI.

Tertius sanctæ Theresiæ locus: hujus vis auctori ignorata.

Inst. past. p. 74. Chast. 7. dem. ch. 3. pag. 810. 817.

198. In Instructione pastorali tertius locus is est sanctæ Theresiæ ex mansione 7. *in hoc perfectissimo gradu inducitur tanta oblivio sui, ut anima utrùm sit an non sit vix sciat: non enim cogitat de cœlesti patria: ac si certo teneret statim egressam ex corpore, in cœlum transituram, non ea felicitate moveretur, quia tunc non cogitat de gloria sanctorum, aut de pari gloria consequenda; sed tantum ut Deo serviat*. Hæc illa, quæ nos in Statibus orationis facile solvimus.

Inst. sur les etats d'or liv. 9. n. 5. p. 150.

199. Ipse sensit auctor, hujusmodi locos non esse ad summum urgendos: sed pessimas interpretationes adduxit duas; primam, secundum s. Theresiam, *non incitari animas affectu naturali, ac mercenario sui*

Inst. past. p. 75.

ad

ad formalem beatitudinem. Qua de re præmonuimus, numquam beatam virginem cogitasse: (n. 177. 178.) numquam, inquam, de affectu naturali beatitudinis formalis exsuperando cogitavit, sed ipsum christianæ spei supernaturalem affectum prætergressa, eum affectum ex omnium theologorum sensu subjunxit ac subordinavit Dei caritati: quare præsul Theresiam invitam ad suum affectum naturalem trahit, & a se ipsa facit esse degenerem.

200. Altera solutio non pluris valet: *nempe quod caritas ordinarie præveniat spem, ejusque actus imperet, non autem a spe se præveniri sinat:* quæ perfectio omnibus vitæ christianæ professoribus a Paulo proponitur his verbis, *omnia vestra ex caritate fiant: & sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Ibid.

I. Cor XVI. 14. Ibid. X. 31. Col. III. 17.

201. Sane hæc pertinere ad præceptum & ad perfectionem illam evangelicæ legis omnibus imperatam exactiores theologi tradunt: sed quia perfecti nostri, non ita de christiana perfectione sentiunt, & Pauli sententias ad consilium revocant; non negabunt certe illud consilium proponi omnibus christianis: nec esse quemquam qui ab illo abhorreat; immo qui non ad id se invitari sentiat; non ergo pertinet ad purum illum amorem, qui D. Cameracensi, *Sanctis quoque inaccessus, nec iis proponendus esse videatur: ad quem scilicet, nec lumen interius habeant, nec gratiæ illecebram: quo proinde conturbentur, scandalizentur, expaveant.*

Max. des SS. p. 14. 15.

202. Quare illud, sive præceptum sive consilium, omnibus communiter propositum eo pertinet, ut

omnes nostri actus a caritate imperentur : quod autem subdit auctor ita imperari, *ut anima Deum diligeret ; etiamsi nullam ab eo speraret beatitudinem :* id omni actui caritatis intrinsecum esse, pars multo maxima theologorum tradit, neque expectavit s. Theresia septimam mansionem ut Deum illo amore diligeret. Altius ergo vestigandus sanctæ virginis sensus.

Ibid. pag. 75.

CAPUT VII.

Verus sensus s. Theresiæ ex ipsa stabilitus.

203. Is autem sensus hic est: ut spe gloriæ non quidem moveretur tamquam fine ultimo, ac motivo præcipuo caritatis ; moveretur tamen ut moveri solent piæ animæ per illas secundarias objectivas rationes a theologis memoratas, quæ ad amandum alliciant.

204. Neque id voluit sancta Theresia, ut gloria cœlesti non absolute moveretur; quod concilio Tridentino repugnare vidimus: sed ut non moveretur *tum:* per certa momenta: alternantibus vicibus: etsi enim ea motiva virtute semper movent, non tamen semper actu de illis cogitatur; nec tamen diu a cogitatione absunt: ac subinde recurrunt; unde sancta Theresia subdit de illis animabus: *rursus autem redeunt ad desiderium Dei perfecte potiundi, cui tamen postea renuntiant* (quoad dilationem, non quoad rem ipsam) *satisque contentæ, quod Deum comitem habeant, ei offerunt vitam suam prolongatam, ut certissimum ac laborosissimum argumentum*

ante-

7. dem. ch. 3. p. 817.

Ibid.

anteposita divina commodi rationis suis rationibus & commodis: qui sensus nec intelligi potest, sine Dei possidendi absoluto desiderio: nisi enim desiderarent, nihil Deo immolarent: immolant autem non quidem auferendum, absit; sed tamen differendum Dei desideratissimi votum: ergo illo numquam absolute carent: sed vicibus, aut tantisper premunt, aut actu eliciunt: summam autem ipsam nnmquam non retinent.

205. Quocirca ita concludit illum excelsissimum de Deo potiundo locum: *quo sensu putatis esse illas animas cum reputant se illa felicitate privari posse?* Absit ergo ut non optent illam felicitatem qua privari se posse, non sine gravissimo dolore sentiunt. Sic omnino intelligenda sunt dicta sanctorum, relatis integris locis, non abrupte allegatis, & per vim manifestam ad aliena detortis.

CAPUT VIII.

De B. Joanne a Cruce.

206. Videamus autem an non a B. Joannis de Cruce sensibus D. Cameracensis toto cœlo aberrarit: is enim est qui non semel desiderium potiundi Dei pressisse, & suppositionibus illis impossibilibus indulsisse videatur. Is igitur de perfectis animabus hæc habet, *sine cura, sine reflexione sunt*, sane: *sed per illud spatium, quo viget contemplatio.*

Vive flame, Cant. 3. v. 1. §. 6. 10. p. 518. 502.

207. An igitur per illud spatium non desiderant Deum? Absit: *amans enim anima non potest amoris sui non desiderare mercedem, cujus gratia amico ser-*

Exp. du Cant. 9. Couplet, p. 181.

servit: *alioquin nec illud amor esset*: *quæ merce non alia est*, *nisi amoris augmentum*, *quousque perveniat ad illum perfectissimum amoris statum*, *qui sit ipse sibi merces*; *nec aliam mercedem anima optare possit*. Optat ergo illam; optat Deum ipsum habendum, potiundum: nec sine illius mercedis *voto stat amor*, *aut amoris gaudet nomine*.

Ibid. 11. Coup p. 190. Ibid. 6. Coup. 175.

208. Rursus: *morbus amoris non nisi præsentia sanari potest*; quo nihil est clarius, ac simplicius: & iterum: *animæ Deum amanti non nisi potiundo potest satisfieri*; *non enim aliæ gratiæ satisfaciunt*, *sed incendunt & irritant Dei*, *ut in se est*, *videndi desiderium*.

Obs. nuit. liv. 2. ch. 19.

209. Quod ergo alibi docet, non esse animas illas *intentas solatiis*, *aut commodo proprio*, *sed Deo pro sua ipsius dignitate & acceptis beneficiis*; primum vides intentas acceptis beneficiis, adeoque profecto suis commodis: non sic tamen ut præcipuo, sed ut secundario, magno tamen motivo.

Cant. VIII. 14. Exp. du Cant. 11. Coup.

210. Quin etiam cum anima videtur optare ut avertat Deus dulcedines suas, sponsæ instar canentis: fuge dilecte mi: *ne credas averti velle*: *genus locutionis est ex nativo amittendæ dulcedinis metu*: ergo sit avertere, elicere est; optare est: estque illa fuga ex amatoria vi grande desiderium: quanto ergo ferventius est desiderium illis Deo viso atque possesso æternæ dulcedinis? unde illud erumpit ex imo pectore: *rumpe telam hujus vitæ*, *ut te statim amare possim cum ea plenitudine ac saturitate*, *quam desiderat anima mea æternam & interminabilem*.

Vive flame, Cant. 1. p. 311.

211. Sic illis amantibus pressa desideria, etiam per suppositiones illas impossibiles, nihil aliud sunt quam genus desiderii eo ardentioris quo latentioris.

CAPUT IX.

Locus ejus auctoris a D. Cameracensi prolatus: deque proprietate.

212. Hæc præsul omnia prætermisit, quibus clare constat, numquam a mysticis suppressum potiundi desiderium: adduxit autem hujus B. viri unum tantum locum *de avaritia, atque ambitione spirituali: quæ sit illa a mysticis commemorata proprietas, hoc est illud spirituale commodum, quod numquam abest mercenariæ animæ virtutibus.* Max. des SS. p. 38, 135.

213. Quodnam autem sit illud spirituale commodum proprium, expressit his verbis, *esse nempe illud commodum sive meriti, sive perfectionis, sive mercedis æternæ:* atque illud est quod in spirituali Joannis a Cruce avaritia, sive ambitione vult quæri. Ibid.

214. Contra: avaritiam illam spiritualem sic definit beatus auctor, *ut animæ nunquam contentæ sint donis a Deo datis, deficiantque animo, ac lamentis indulgeant, si non inveniant ea quæ in spiritualibus rebus quærunt solatia:* hoc primum; alterum: *ut præceptis, consiliis, libris, reliquiis, agnis Dei, exsaturari non possint: qua in re*, inquit, *damno proprietatem cordis inhærentis earum rerum modo, multitudini, curiositati:* quæ quam abhorreant ab æternæ mercedis studio, nemo non videt. Sic præsul suam omnibus spiritualibus ignotam proprietatem Obs. nuit. liv. 1. ch. 3. p. 219.

quæ·

quærens nec inveniens, eam per fas & nefas omnibus eorum dictis infarcit.

Ibid. ch. 4. 6.

215. Neque quidquam aliud de spirituali ambitione a beato viro dictum comperi. Sane gulæ ac luxuriæ spiritualis vitium tribuit animabus solatiorum sensibilium inexhausta cupiditate percitis. Neque aliud quidquam: quare proprietatem illam quam præsul inculcat, si extra solatii spiritualis aviditatem inexsaturabilem ac æternam mercedem transferatur, mysticis ignotam esse, & ab eorum doctrina abhorrere omnino decernendum est.

CAPUT X.

De s. Francisco Salesio locus decretorius.

216. De beato Salesio tot ac tanta retulimus, ut ea repetere nihil aliud esset, quam lectori fastidium, ac nauseam parere: unum illud, sed decretorium, quod ad proprietatem definiendam pertinet; memorare hic juvat: *Mystici*, inquit, *proprietariam vocant animam eam quæ suas virtutes per sanctam resignationem refert ad Deum: qua in re minus perfecta est, quam anima absoluta a proprio commodo, quæ suas virtutes refert ad Deum per sanctam indifferentiam.*

Max. des SS. p. 111.

217. Quid autem sit referre virtutes ad Deum per sanctam indifferentiam alio loco sic explicat: *duo sunt status istarum animarum: primus est sanctæ resignationis, qua anima sancta multa vult seu vellet sibi, ex proprii commodi motivo: cujus rei gratia s. Franciscus Salesius confitetur inesse ei desideria, sed submissa: quippe cum illa submittat volun-*

Max. des SS. p. 49. 50. 51.

luntati Dei, quam suo commodo anteponit. Secundus status est sanctæ indifferentiæ, ubi anima nihil vult sibi ex motivo proprii commodi : nulla habet submittenda mercenaria desideria, quia nulla habet mercenaria ; quamquam remanent proclivitates & repugnantiæ involuntariæ quas submittit ; sed nulla habet desideria voluntaria & deliberata ad suum commodum, exceptis casibus, ubi toti suæ gratiæ fidelis non est : anima illa indifferens cum implet suam gratiam nihil vult nisi propter Deum, & prout Deus attractu suo velle eam facit.

218. Hæc ergo principia, has definitiones resignationis, sanctæque indifferentiæ ad beatitudinem refert his verbis : *nihil vult anima ut sit perfecta & beata ad suum commodum ; vult tamen perfectionem omnem, omnem beatitudinem, in quantum Deus hæc velle nos facit impressione gratiæ*, ejus scilicet de qua dixit : *animam nihil velle ad suum commodum, nisi ubi suæ gratiæ*, singulari illi scilicet qua ejusmodi anima trahitur, *fidelis non est*.

Ibid. p. 51.

219. Eamdem doctrinam tradit & inculcat in responsione ad Summam ; atque ex his principiis *quæ sancto Salesio tribuit proprietatem definiri asserit* a mysticis.

Resp. ad Summa, p. 57. Troisi. lettre a M. de Paris, pag. 21.

220. Facile confutatur. Primum enim qui resignationem ab indifferentia secernat præter unum Salesium profert neminem : Salesius autem nihil de proprietate cogitat : quin ipsum Salesium præsul pessime intelligit, ut docent sequentia.

CAPUT XI.

Sancto Francisco Salesio imponitur circa resignationem, & indifferentiam.

Decl. tr. p. 8. 9. Troisi. ecrit. n. 1. p. 77. Am. de Dieu liv. 9. ch. 3. 4.

221. Sæpe monuimus, nec monere cessamus, beatum Salesium de resignatione ac indifferentia tractantem, ad nihil aliud respexisse, quam ad *afflictiones sive spirituales*; hoc est ariditates, sive *etiam temporales*, numquam autem ad salutem æternam; quo D. Cameracensis sancti antistitis doctrinam omnem trahit.

222. Atqui tota doctrina libri de doctrina sanctorum, & proprietate nititur, & ex illo uno loco s. Francisci Salesii explicatur, ut mox vidimus: ergo totus liber eo loco nititur, quem falso allegatum & in alienum sensum detortum esse constat.

Rep. a la decl. p. 42.

223. Sensit id Cameracensis: & ultro confitetur *sanctam indifferentiam, quatenus suspendit omne desiderium, spectare tantum eventus vitæ præsentis; & quidem antequam contingant*: ex quo sequitur, ipso confitente, falso allegatum Francisci Salesii locum; & ad æternam beatitudinem pessimo consilio esse detorta quæ ad eam nihil attinent.

Ibid. p. 43.

224. Quod autem subdit, non nisi *naturalia salutis desideria* a se esse subtracta; duo peccat: primum, quod s. Francisco Salesio falsa & aliena imputat, cum ille, ipso Cameracensi fatente, nonnisi de eventibus hujus vitæ agat; non autem de salute, sive naturaliter, sive supernaturaliter desideranda: alterum, quod salutis naturalis desideria cum a su-

per-

pernaturalibus nulla arte secerni possint, necesse est ut hæc, profligatis aliis, in ruinam trahantur, ut supra vidimus n. 139. 140.

225. His tamen ludificationibus, his s. Salesii aperte truncatis testimoniis sperat auctor se mysticis, se scholæ, se ecclesiæ Romanæ illudere posse; ac nedum agnoscat errorem, sibi falsa omnia imputata esse jactat; adeo confidit hominum credulitati, ac vanis verborum offuciis.

CAPUT XII.

De proprietate ex libro de Imitatione Christi.

226. D. Cameracensis omnia movet, ut quocumque loco suam proprietatem inveniat, cujus nulla vestigia deprehendit. Unus est omnium aurei libelli Imitationis auctor, qui de proprietate, vel maxime verba faciat, sed longe diverso sensu. Cameracensis enim sic scribit: *auctor Imitationis Christi sæpe loquitur contra proprietarios; eaque proprietas quam ut imperfectam rejicit, nihil aliud potest esse quam amor nostri naturalis quo adhærescimus ornamento aut solatio, quæ ex virtutum perfectione, & possidendæ mercedis voluptate proveniunt.* Hujus rei gratia locum istum profert: *ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera: ut ab omni proprietate possis expoliari, & nudus nudum Jesum sequi: tibi mori, & mihi æternaliter vivere:* at quis hic odor, quod vestigium proprietatis illius quam naturalem vocas? quin ipse sic loqueris: *illa proprietas, nihil potest esse aliud quam amor sui naturalis, virtutum solatia &*

Inst. past. p. 65.

De Imit. lib. 3. cap. 37. n. 3.

mer-

mercedis voluptatem spectans. *Nihil*, inquit, *potest esse aliud:* consecutione agit, ratiocinio, conjectura, nihil expressi habet: ubi enim apud pium auctorem illa *ornamenta*, illa *solatia*, abjicienda virtutum, ac *mercedis æternæ?* nullum verbum: *conare*, inquit, *ut ab omni proprietate*, hoc est sensu pii auctoris ne hæreas proprio bono relicto communi, qui est Deus: *ut nudus nudum Jesum sequaris:* terrenis omnibus derelictis, quibus Jesus caruit: *tibi mori*, *& mihi æternaliter vivere:* ad hæc enim æterna pervenies, si hæc terrena contemseris.

227. *Vides*, infert præsul, *sine proprietate desiderari posse æternam cum Christo vitam*. Sane: *ergo hic agitur de studio naturali virtutum, ac mercedis in quibus est proprietas:* at ego nihil horum video quæ te videre fingis: neque quidquam quam præsulem casso studio in quærenda illa proprietate laborantem.

CAPUT XIII.

Alius locus.

Inst. past. ibid. Lib. 1. de Imit cap. 11. n. 3.

228. *Auctor Imitationis exclamat:* o quantum potest amor Jesu purus, nullo proprio commodo, vel amore permixtus! sic præsul. Sed quid sit illud commodum proprium, aut proprius amor sequentia demonstrabunt: *nonne mercenarii sunt dicendi, qui consolationes semper quærunt? nonne amatores sui magis, quam Christi probantur & lucra semper meditantur?* nempe *solatiorum lucra*, ubi seipsos magis quam Christum amare convincuntur: non ergo inno-

innocua est illa proprietas, unde addit: *ubi inveniatur talis qui velit Deo servire gratis?* nec sola illa semper solatii sensibilis mercede duci.

229. Hæc quippe præcesserant: *multi illum laudant quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt: si autem Jesus se absconderit, & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, vel in dejectionem nimiam cadunt:* quæ sunt in vitio, non in illa tua imperfectione ac proprietate naturali innocua.

De Imit. ibid. n. 1.

230. Subdit: *qui autem Jesum propter Jesum, & non propter suam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt: & si numquam eis consolationem dare vellet, ipsum tamen laudarent, & semper gratias agere vellent:* cui subjuncta sunt quæ ex D. Cameracensi mox lecta sunt: quæ nihil ad ornamenta virtutum & mercedis æternæ voluptatem faciunt.

Ibid. n. 2.

CAPUT XIV.

De proprietate secundum sensum pii auctoris.

231. Sed ad proprietatem redeamus, quando hujus notionem ipse Cameracensis confitetur ab eo auctore esse repetendam. Repetamus libri 3. a præsule allegatum caput 37. *fili, relinque te, & invenies me: sta sine electione, & omni proprietate, & lucraberis semper.* An vero hic somniabat proprietatem naturalem imperfectam tantum, nec proinde vitiosam? Audi, *nihil excipio, & in omnibus te nudatum in-*

Lib. 3. cap. 37. n. 6.

Ibid.

veniri nolo: alioqui quomodo poteris esse meus, & ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus & foris spoliatus? nempe illa propria voluntate, sine qua nec nos Christi, nec Christus noster esse possit: quæ quidem innocua non est.

Ibid. n. 2. 232. Subdit: *quidam se resignat, sed cum aliqua exceptione; non enim Deo plene confidunt*. En a bono communi ad propriam deflexi voluntatem; unde illud: *ad hoc conare, ut ab omni proprietate possis exspoliari;* quod ita interpretatur ipse: *tunc deficient omnes vanæ phantasiæ, conturbationes iniquæ, & curæ superfluæ; tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur:* hoc est ille amor, quo a communi bono ad proprium convertaris, fiasque *proprietarius*.

CAPUT XV.

Alii loci, & de abnegatione vel amore naturali sui.

Lib. 3. c. 32. n. 1. 233. *Fili*, inquit, *non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum: compediti sunt omnes proprietarii, & sui ipsius amatores;* conjecti quippe in angulum, ut Bernardus memorabat; (n. 126.) hinc etiam in sordes & maculas: quippe ad proprium bonum coarctati, relicto communi, quo pectus dilatatur.

Ibid. 234. Sic sunt compediti, angusti, maculosi, *sui ipsius amatores*: subdit enim: *cupidi, gyrovagi, quærentes semper mollia, non quæ Jesu Christi*, & cætera ejusmodi quæ plane eveniunt, seque & sua, non vero æterna ac divina sectantibus.

235.

235. Nec est ullus auctor qui de sui abnegatione toties, tamque præclare dixerit, cum in eo sit totus: neque tamen toto libro ullam voculam inveneris de illa abdicatione desiderii, sive supernaturalis, sive etiam naturalis perfectionis, suæ ac salutis æternæ, quam auctor somnians ubique sibi videre videatur.

236. Tantus vitæ interioris ac perfectæ magister, in perfectione explicanda numquam amori naturalis usus est actibus, aut motivis: nullus licet subtilius distinxerit gratiæ & naturæ motus, toto quidem libro, sed præsertim libri 3. cap. 54. & 55. ubi de his expresse tractat; & tamen nihil tale tradidit: naturæ motus respicit, non ut gratiæ subordinandos, sed ut gratiæ contrarios, quippe qui naturam eam intelligat jam corruptam cum qua nobis perpetuum bellum est. Cæterum desideria naturalia promissorum Dei, & beatæ visionis, quæ a perfectis evellenda essent, neque ipse, neque alius quisquam spiritualium somniavit.

Ibid. cap. 54. n. 1. cap. 55. n. 1. 2. &c.

C A P U T XVI.

De amore beatitudinis pii auctoris sensus.

237. Amorem certe beatitudinis toties expressit, ut nihil aliud spirare videatur: *Fili*, inquit, *ego debeo esse finis tuus supremus, & ultimatus; si vere desideras esse beatus:* postea: *ego sum qui doceo terrena despicere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere.* Quam autem suspiret ad supernæ civitatis beatissimam mansionem, ad æternam lu-

Lib. 3. cap. 9. n. 1.

Ibid. cap. 43. n. 3.

Ibid. cap. 48.

lucem, ad perfectam libertatem, ad Dei visionem, ad perpetuam & imperturbabilem pacem: *quanta patiatur intus*, horum desiderio, attestatur, vel maxime c. 48. sequente vero: *Fili, cum tibi desiderium æternæ beatitudinis desuper infundi sentis, & de tabernaculo corporis exire concupiscis, ut claritatem meam sine vicissitudinis umbra contemplari possis: Dilata cor tuum, & omni desiderio hanc sanctam inspirationem suscipe: ibi*, inquit, *aderit tibi totius facultas boni, sine timore amittendi: ibi voluntas tua una semper mecum, nihil cupiet extraneum, vel privatum:* en illa ex privato bono proprietas exclusa semper ut in fruitione, ita in desiderio: en in bono communi bona vita ac felix; nec quidquam aliud toto libro reperies.

Ibid. n.

Cap. 48. n. 1.

Ibid. n. 6.

CAPUT XVII.

De motibus naturæ & gratiæ.

238. Placet illud delibare ex cap. 54. *Fili, diligenter adverte motus naturæ & gratiæ, quia valde contrarie, & subtiliter moventur, & vix nisi a spirituali & illuminato homine discernuntur.* En non modo contrarie; sed etiam valde contrarie procedunt. Pergit: *Omnes quidem bonum appetunt, & aliquid in suis dictis, vel factis prætendunt: ideo sub specie boni multi falluntur. Natura callida est & multos trahit, illaqueat, & decipit, & se semper pro fine habet:* quod aperte est in vitio.

Lib. 3. cap. 54. n. 1.

239. Quod autem gratia *contrarie* incedat, ut pius auctor prædixerat, hæc ostendunt: *gratia omnia pure pro-*

Ibid.

propter Deum agit, in quo & finaliter requiescit: quid sit autem requiescere in Deo, antecedentia facile docuerunt: hæc ergo a gratia amoveri non possunt. Quod confirmat his verbis: *gratia attendit æterna, nec in perditione rerum turbatur, quia thesaurum suum, & gaudium in cælo, ubi nil perit, constituit:* nec ita multo post: *gratia nil temporale quærit, nec aliud præmium quam Deum solum pro mercede postulat.* Hæc ergo postulari vult: de natura eadem desiderante amore imperfecto sui, nihil cogitat. *Ibid. n. 5.*

240. Aliud quidem est proprium quo quis sibi tribuit Dei dona, vel ipsa Dei dona ipsi Deo anteponit: quod sæpe auctor agnoscit, & in vitio ponit: de illo naturali, ac deliberato desiderio quod sit innocuum, & tantum imperfectum, æque cum aliis omnibus spiritualibus tacet.

CAPUT XVIII.

De imperfectionibus.

241. Alibi est observata a nobis D. Cameracensis objectio, de imperfectione mera, quam a me prætermissam queritur. Sed hæc nihil ad nostram quæstionem, aut ad mysticos pertinere, ibidem claruit. *Præf. n. 22.*

CAPUT XIX.

Quod nemini fraudi sint suppositiones impossibiles; quis in iis auctoris peculiaris error. Conclusio.

242. Ex his plane constat nihil interesse mysticorum, quid D. Cameracensis causa fiat: immo mul-

tum interesse, ne utræque causæ connexæ implicitæque habeantur. Quod enim mystici suppositionibus impossibilibus gaudere videantur, sine periculo mercedis æternæ ejusque voti fieri, tam liquido demonstravimus, ut nullus relinquatur dubitationi locus: itaque suppositiones illas nemini fraudi esse constitit. At non in tuto est D. Cameracensis sententia, qua docet absolute abdicari salutem: sic autem res conficitur paucis. Nam salus æterna profecto illud erat quod, per conditionem & casum impossibilem abdicari posse dicebat: idipsum autem erat quod ex impossibili possibile factum; immo revera evenisse piæ animæ crederent: ergo non illa naturalia desideria, sed ipsam salutem æternam abdicabant; quod est impium & blasphemum, ut etiam supra vidimus. Ergo ostendimus, a nobis quidem omnino in tuto esse mysticos, quod erat demonstrandum: a D. vero Cameracensi, summum in discrimen adductos. Superest, ut de schola eadem statuamus, quod perfacile erit. Quo enim magis scholastici via quadam ac ratione procedunt, eo se tutiores præstant; sed id ad Tractatum sequentem differri placet.

Max. des SS. p. 90.

SCHO-

SCHOLA

IN TUTO:

SIVE

De notione Caritatis, & amore puro.

PROLOGUS:

Quo falso imputata nobis, & hujusmodi Operis causa indicantur.

1. Tanti interest orbis christiani, ne scholæ placita Illustrissimi Archiepiscopi Cameracensis causæ connexa implicitaque esse videantur; ut ad illud incommodum propulsandum, nec curiis nec vigiliis parcere debeamus. Is sane in responsione ad librum cui titulus, *Summa doctrinæ*, Meldensem Episcopum duabus de causis accusat. Primum, quod impugnet communem notionem caritatis a schola traditam, quod est falsissimum: tum, quod agat illud subdole, unde extat monitum illud ad theologos: *ab eo præsule sibi maxime caveant, qui eos celare vellet altas machinationes, quibus illorum doctrinam de caritate evertere satagit.*

Resp. ad Summa, *p.* 5.

Ibid. p. 9.

2. Audentius & apertius in *epistola gallica*, sub nomine *Lovaniensis Theologi ad doctorem Sorbonicum* nuperrime Leodii edita, ubi larvatus Lovaniensis: *Ego vero*, inquit, *non possum intueri D. Mel-*

Lett. d'un theol. de Louv. a un doct. de Sorb. a Liege, chez Henri Hoyoux:

 den-

1698. p. 70. 71. *densis sententiam de motivo formali caritatis, nisi ut inexcusabilem, novamque & aperte repugnantem scholæ, atque omnibus sanctis antiquioribus & recentioribus*; ac paulo post: *non possum, inquam, eam sententiam non intueri, ut periculosam, quæ defendi non possit, quin pariter condemnetur omne quod in ecclesia magnum & sanctum est: quare pertinere ad eorum officium, qui regendis scholis præsunt, ut ejus scientiæ probibendæ viam ineant*. Mirum Romam conticescere ad tantum ecclesiæ periculum, necdum mihi datos examinatores: cæterum inflat in me classicum D. Cameracensis, nullumque non movet lapidem, ut omnes academias commoveat: quæ sive per imperitiam, sive per contumeliam dicta, diluere nos oportet.

3. Et quidem a prima juventute sub auctoritate Facultatis theologicæ Parisiensis in scholæ sinu nutritus, ejus placitis ac decretis facile acquiescam: nec dubito quin Lovaniensis academia sanctorum Augustini & Thomæ erudita disciplinis, nova commenta respuat, meque Estii ac Silvii vestigiis inhærentem suscipiat: sed propter mei censoris admirabiles verborum offucias, hic scholastico more aliquot quæstionibus ordinatis, accuratissime demonstrare conabor, non modo ab eodem ignorata scholæ decreta; verum etiam impugnata: a nobis vero defensa. Faxit autem Deus, ut quantum ista res ad intima religionis spectat; tanta a me perspicuitate, tanta lectoris diligentia & attentione tractetur.

QUÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ a nobis tuenda suscepta sint.

ARTICULUS PRIMUS.

Ea xxxvi. proposionibus comprehensa.

4. Quandoquidem D. Cameracensis, quemadmodum constabit infra , totus in eo est ut falsa mihi imputet, primum omnium exponam quæ adversus illum pro ecclesia catholica tuenda susceperim, quæque quamdiu inconcussa erunt, ut sunt, ejus præsulis doctrina, sive ut loqui amat systema, stare non poterit: ut autem a communioribus procedamus, incipimus a beatitudine in hunc modum.

I. Frui Deo finis est beatitudinis.

II. De beatitudine vero theologi, philosophi, docti, indoctique pariter ita sentiunt: eam esse primum volitum, atque ultimum finem, quem omnes homines volunt, & nolle non possunt. (Augustinus millies.)

III. Præclare sanctus Ambrosius eam in rem, *qui verus est finis, is finis est non unius, sed omnium*: (in psal. 38. n. 16.)

IV. Neque tantum omnium hominum, verum etiam omnium actuum humanorum.

V. Illos autem actus humanos dicimus, qui ratione, consilio, deliberatione fiunt.

VI. Neque quisquam diffitetur, quin omnes homines quidquid agunt, quidquid volunt, quidquid cogitant,

stant, quod ad vitam humanam alicujus momenti esse videatur, id omne ad beatitudinem explicite, vel implicite, sive virtualiter referant. Citius animam auferas, quam ut cuiquam homini hanc mentem, hunc sensum, hanc animi præparationem eripias.

VII. Hæc de beatitudinis studio, & amore naturali generatim: de speciali autem, ac supernaturali christianorum beatitudine, quæ est in potiundo Deo; certum est, supposita notione, & amore naturali beatitudinis omnibus hominibus communi, Christum toto Evangelio id egisse: ut Deo viso, dilecto, possesso, æternum beati esse vellent.

VIII. Certum item est omnibus theologis, pertinere ad caritatem, & esse caritatis illud Pauli: *mihi vivere Christus est, & mori lucrum: coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius, &c.* *Phil.* I. 23.

Phil. I. 21. 23.

IX. Dei autem diligendi in scripturis sacris omnino duæ causæ proponuntur: primum, quod in se est optimus & infinite perfectus: deinde, quod erga nos summe benevolus & beneficus: aliis verbis ex Paulo φιλάνθρωπος, amator generis humani, bonorum omnium largitor.

Tit. III. 4.

X. Quod Deus sit benevolus ac beneficus, id quoque pertinet ad ejus excellentiam, ac perfectionem infinitam.

XI. Beneficium, quo Deus est beneficus, in eo est vel maxime, quod se habendum, possidendum, & in hac vita & in æternum donat.

XII. Eo

xII. Eo ergo beneficio quo est beneficus, est item beatificus.

xIII. Ergo eligere Deum ut est beneficus, est eumdem diligere ut est beatificus.

xIV. Hæc autem omnia ad motivum caritatis, ut in scripturis revelata est, spectant.

xV. Negari sane non potest, ex præcepto caritatis juberi nos diligere Deum ut est Dominus: item ut est Deus noster: item ut ipse conglutinatus est nobis: item ut bene sit nobis. (Deut. vI. x. xI.)

xVI. Hæc autem omnia, quod Deus sit Dominus, quod sit Deus noster, quod sit benevolus, sive amator hominum: eaque φιλανθρωπία præditus quam ex Paulo retulimus: item quod sit beneficus, ac beatificus, quo uno bene sit nobis, sunt quidem in se absoluta attributa: neque enim ulla in Deo sunt attributa vere relativa, præter paternitatem, filiationem, ac spirationem activam & passivam: ea tamen attributa in se absoluta connotant ex proprio conceptu aliquid extra Deum, cujus connotati ratione habent conjunctissimam & inseparabilem relationem ad nos, sive rationis cum fundamento in re, sive trascendentalem quamdam, sive aliam quamcumque malueris; ita ut sine quodam respectu ad nos nec intelligi, nec cogitari possint.

xVII. Caritas ergo in Deum sub illis attributis, ad ejus perfectionem & excellentiam pertinentibus tendens, ita est absoluta, ut illa quoque attributa absoluta sunt; ita relativa, ut eadem attributa relationem dicunt ad nos.

xVIII. Nec immerito schola docet, omnem

actum

actum caritatis esse in se absolutum, nulla reali relatione ad nos; non tamen absque ullo respectu rationis cum fundamento in re, propter illa attributa, eorumque connotata quæ diximus.

XIX. Non ergo potest amari Deus ut benevolus, ac beneficus erga nos, neque ut beatificus, nisi quadam relatione inseparabili ad nostram beatitudinem.

XX. Non sola, nec prima, sed tamen vera causa per se amandi est, quod *Deus prior dilexerit* 1. Joan. IV. 10. 19. vera causa magis amandi, quod plura donaverit, ac remiserit. Luc. VII. 43. 47.

XXI. Hæc pertinere ad verum actum caritatis quo peccata remittuntur, ipse Christus docet: ibid.

XXII. Recte ergo conjungitur primæ causæ amandi Deum, eo quod sit perfectus; altera causa, quod sit beneficus, quæ est evangelica ac certissima veritas.

XXIII. Has autem causas duas Dei propter se amandi, hoc est profecto causas veræ ac genuinæ caritatis in Deum, quod sit perfectus, quod sit benevolus, sanctus Bernardus commemorat, dum quærit, *quo merito suo*, *quo commodo nostro* Deus propter se ipsum diligatur: verba sancti sunt: *ob duplicem ergo causam Deum dixerim propter seipsum diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest*: ad primum pertinet, *quo suo merito*: ad secundum, *quo nostro commodo* diligatur.

Bern. de dil. Deo, cap. 1. n. 1. cap. 7. n. 17.

XXIV. Notandum autem illud etiam *ex commodo nostro*, Deum propter se ipsum, adeoque casto puroque

que amore diligi, quia benevolum illud ac beneficum, unde commoda nostra profluunt, sunt vera excellentia in Deo: hoc est vera & proxima causa glorificandi Dei, adeoque & amandi.

xxv. Hæc vero duo motiva pure diligendi Deum non ejusdem sunt ordinis; cum prius intelligatur Deus in se bonus ac beatus; quam Deus beneficus ac beatificus.

xxvi. Quin etiam illud beneficum ac beatificum, ad illud bonum ac beatum per se se ordinatur.

xxvii. Recte ergo schola communiter, nosque cum illa dicimus, Deum ut in se perfectum, bonumque & beatum, esse excellentissimum, præcipuum, ac primarium caritatis objectum: Deum vero ut beneficum, ac beatificum, esse minus præcipuum ac secundarium, alteri subordinatum: tamen per sese maximum.

xxviii. Ita sane hæc motiva ordinata sunt, ut Deus in se optimus, ac beatissimus possit quidem cogitari cogitatione abstractiva, ac transitoria, absque eo quod actu & expresse cogitetur de Deo benevolo ac benefico: sed Deus benevolus, ac beneficus ne cogitari quidem possit, nisi prius intellecto Deo in se beato atque optimo, ordine sane naturæ & per se cognitionis, non tamen semper temporis.

xxix. Hæc autem sufficiunt, ut intelligatur, Deum, ut in se optimum ac beatissimum, esse specificum objectum, quo sine caritas nec esse, nec intelligi, aut cogitari possit: Deum vero ut benevolum, ac beneficum, motivum esse secundarium, & in primario saltem virtute comprehensum.

xxx. Ne-

xxx. Neque enim illud plene intelligi potest, Deum esse in se perfectissimum, nisi pariter sit omnipotens, clemens, benevolus, atque beneficus: atque adeo horum attributorum amor est necessarius, ad perfectionem caritatis in Deum.

xxxi. Omnino ex antecedentibus, præsertim prop. 17. hæc duo motiva magis subordinata, quam coordinata sunt, neque ut duæ causæ propriæ partiales, æquo jure concurrunt ad excitandam caritatem; sed ita ut prima illa alteram reducat & trahat in proprium finem.

xxxii. Quo magis agnoscimus, & lætamur Deum esse benevolum ac beatificum; eo magis agnoscimus ac lætamur, eum esse bonum, beatum, sibique omnino sufficientissimum: quo plane indigemus ut simus, & beati simus, cum ipse nec nostri amoris, nec laudis indigeat.

xxxiii. Nec si specificum illud motivum in se est præstantius, ideo pluris valet solum, quam illa motivi utriusque complexio: neque nostra quidquam interest, quam ut quoquo modo Deum perfectissimum, omni perfectionis genere impensissime diligamus; naturæque excellentissimæ eo magis hæreamus, quo magis intelligimus esse non modo universim in genus humanum, verum etiam in unumquemque nostrum propensissimæ, atque effusissimæ voluntatis: sequitur ex dictis, & in praxi certum.

xxxiv. Sub Deo ut benevolo, ac benefico hominum amatore, ac servatore, intelligendus venit Jesus Christus vera caritate per se se proxime diligendus, & ipsam caritatem incensurus in Patrem:

Sic

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: unde etiam Paulus: *Caritas Christi urget nos; æstimantes hoc, quia si unus pro nobis mortuus est Christus; ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit:* quod est purissimæ & plenissimæ caritatis in Christum, ut redemtorem.

Joan. III. 16.

II. *Cor.* V. 14. 15.

XXXV. Nec licet Salvatorem non summo amore diligere, qui salutem diligat: nec teste Apostolo (Eph. I. 6. 12. 14.) salutem alio referre, *quam in laudem gloriæ Dei: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula:* (Rom. XI. 36.)

XXXVI. Ex his autem liquet, caritatem recte ferri ad fruendum, nec immerito eam a sancto Augustino, sequente Magistro, s. Thoma, Scoto, aliisque theologis, ita definitam, *ut sit motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum:* quo tota quæstio facile dirimatur: atque hæc sunt quæ tuenda suscepimus, quinque & triginta sex propositionibus comprehensa. Cætera, de eversis communibus scholæ decretis ac notionibus, falso nobis imputata, constabit.

Aug. de doctr. ch. lib. 3. *cap.* 10.

ARTICULUS II.

Summa propositionum.

5. Summa est, Deum ut in se bonum atque perfectum, esse primarium ac præcipuum, immo etiam specificum caritatis objectum: Deum vero ut benevolum

volum atque beneficum, haud minus esse verum ac necessarium, licet secundarium motivum ejusdem caritatis: hanc esse certissimam totius scholæ, hanc omnium sententiam: qui eam inficiatus sit, neminem reperiri: gravi errore teneri Cameracensem, qui solus inficiari velit: quod uberius suo loco declarabitur.

6. Hæc igitur sunt, quæ Meldensis Episcopus non ut sua, sed ut omnium theologorum certa & firma decreta tuenda suscepit. Negat idem Episcopus a Domino Cameracensi appellatum esse, aut appellari potuisse quemquam, qui secus sentiat: addit, hunc esse errorum quietismi fontem, quod hæc dogmata, sive aliqua eorum, vel obscuraverint vel negaverint.

QUÆSTIO II.

De amore naturali beatitudinis, ad prop. 1. & seq. usque ad 7.

ARTICULUS I.

Unde depromantur doctorum testimonia; in primis S. Thomæ.

7. Hæc autem, quamquam per sese clara sunt & suo stant robore, tamen magis magisque confirmari oportet. Incipimus autem ab amore beatitudinis, qui fons est moralis philosophiæ, ac theologiæ omnis, a quo etiam omnes theologi incipiunt: indicamus autem locos, unde theologorum hac de re decreta sumantur.

8. Le-

8. Legendus in primis Magister, in primum dist. 1. ubi ex Augustino hæc fundamenti loco ponit: *Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum est, aliæ quæ fruuntur & utuntur: illæ quibus fruendum, nos beatos faciunt: illæ quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvantur, ut ad illas res quæ nos beatos faciunt, pervenire, eisque inhærere possimus.* In ea præcipue verba legendi sunt, excepto nullo, antiqui recentesve, qui in eam distinctionem scripserint. Legendus s. Thomas, 1. 2. q. 1. & sequentibus, & ejus commentatores ad unum pariter omnes post ipsum concludentes, hominis esse agere propter ultimum finem: (q. 1. a. 1.) humanæ vitæ aliquem esse finem ultimum, nempe beatitudinem; quem finem omnes velint, & propter quem omnia velint: (art. 4. 6. 7. 8.) quæ usque adeo certa sunt, ut his tamquam communibus principiis, uti prædiximus, philosophia & theologia innitatur. Hac ergo de causa a citandis auctoribus abstinemus, ne nos irrideant, certa & clara, nec a quoquam negata, superfluo studio asserentes.

Mag. in 1. dist. 1. Aug. 1. de doct. ch. cap. 3.

S. Th. 1. 2. q. 1. art. 1. 4. 6. 7.

ARTICULUS II.

De natura intellectuali in genere idem statuitur.

9. Atque ut constet, illud esse de omni intellectuali creatura commune decretum; audiamus sanctum doctorem ita de Angelis disserentem. Primum; *in Angelis est voluntas, hoc est inclinatio ad bonum, ex cognitione qua cognoscant ipsam boni rationem, quod est proprium intellectui, & hæc (quæ ejusmo-*

1. p. q. 59. art. 1.

di sunt) perfectissime inclinantur in bonum , non quidem quasi ab alio solummodo directa in bonum , sicut ea quæ cognitione carent ; neque in bonum particulariter tantum , sicut ea in quibus est sola sensitiva cognitio : sed inclinata in ipsum universale bonum : & hæc inclinatio dicitur voluntas . Non ergo est in Angelis tantum inclinatio ad bonum, naturalis illa sine cognitione , sed ex ipsa cognitione boni elicita .

Ibid. q. 60. art. 1. 10. Secundo ; *in ea voluntate est dilectio naturalis secundum voluntatem ex cognitione scilicet : unde sequitur : quod sit in eo etiam dilectio electiva , quia* Ibid. art. 2. *voluntas naturaliter tendit in suum finem ultimum. Omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem , & ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates , cum quidquid homo vult , velit propter finem : (quod etiam competit Angelo) in quantum natura intellectualis in Angelo perfecta est .*

11. Tertio ; *illa dilectio naturalis est amor sui :* Ibid. *eo quod in rebus cognitione carentibus unumquodque naturaliter appetit consequi id quod est sibi bonum , sicut ignis locum sursum : unde & Angelus & homo naturaliter appetunt suum bonum , & suam perfectionem : & hoc est amare seipsum* (eo amore quem supra posuit ex cognitione & voluntate scilicet .)

ARTICULUS III.

De natura voluntatis humanæ .

Ibid. q. 82. art. 2. 12. Ex eodem universali principio oritur in homine quoque amor beatitudinis : *sunt enim quædam par-*

particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus, & ejusmodi voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret: in quo solo vera beatitudo consistit; sed tamen antequam per certitudinem divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his quæ Dei sunt, sed voluntas videntis Deum per essentiam necessariò inhæret Deo; sicut nunc ex necessitate volumus esse beati.

13. Ex his constituitur quæ sit natura voluntatis humanæ: quæ nempe est, velle universim suam beatitudinem; atque ex hac necessaria voluntate prosilire in omnes particulares actus liberos: *oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit & immobiliter; sit principium & fundamentum omnium aliorum: quia omnis motus procedit ab aliquo immobili:* illud autem immobile est ipse beatitudinis appetitus, qui ita se habet in voluntatis actibus, sicut se habent in intellectivis prima principia: atque omnino necesse est, *quod sicut intellectus naturaliter adhæret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhæreat ultimo fini:* qui finis ibidem est ipsa beatitudo;

Ibid. q. 82. art. 1.

Ibid. art. 2.

ARTICULUS IV.

Dictorum radix & fons.

1. p. q. 26. art. 1. & 2. — 14. Hujus autem rei radix est, quod beatus Deus & habens seipsum, creaturæ cuilibet ad imaginem suam factæ concedat, ut sit beata per assimilationem sui ad Deum. *Unde beatitudo est voluntatis objectum:* fitque homo beatus, vel vere, habens Deum, vel umbratice, habens speciem Dei in particularibus bonis a Deo creatis. Beato autem Deo pro tanta veritate hominibus revelata, sit gloria & honor sempiternus: amen.

Ibid. art. 2. ad 2.

ARTICULUS V.

Estius & Silvius producuntur.

15. Etsi in re clara abstinendum judicavi a congerendis doctorum testimoniis, Belgarum tamen clarissimorum theologorum gratia, commemoratos volui Estium & Silvium omnium antesignanos. Certe Estius de fruendo & utendo post Magistrum ex Augustino disserens, statim præmittit ut certum, ipsum frui ad amorem ejus rei pertinere, *in qua quis delectatur propter seipsam; sic nimirum, ut in ea voluntas conquiescat tamquam in summo bono, & fine suo ultimo: uti autem esse rem propter aliud quo fruendum sit in operationem assumere, dummodo non in ea voluntas ut in ultimo fine conquiescat:* quo loco aperte cum Magistro, immo cum Augustino, supponit omnes fruentes & utentes, hoc est omnes homines

Est. in 1. dist. 1. §. 1.

ratio-

ratione usos, in beatitudinem tendere tamquam in ultimum finem: in 1. dist. 1. in ipsis initiis §. 1. §. vero 5. docet ex Augustino, *propter solam beatitudinem tamquam finem ultimum & summum, amandas esse virtutes, tametsi habeant in se unde amentur.* in 3. quoque dist. 34. §. 8. supponit, *timorem, ut & omnes affectus, procedere ex amore, quo naturaliter sibi quisque vult, bene & in genere felicitatem appetit.*

Ibid. §. 5.

In 3. dist. 34 §. 8.

16. Hunc sectari solitus Silvius, ejusque fere verbis usus, posteaquam in prima parte q. 1. secutus est ad singulos articulos omnes conclusiones s. Thomæ, in secunda deinde parte supponit, *dilectionem & omnia bona opera exercenda esse propter beatitudinem*: (quia) *inordinatum est non ordinare media in suum proprium ac legitimum finem, scilicet in æternam beatitudinem*: in 2. 2. qu. 27. art. 3. quo loco supponit cum omnibus theologis, ipsoque s. Thoma, omnes omnino homines in quocumque actu serio, agi ad beatitudinem, de quo dubitare portenti loco esset.

Silv. 1. 2. q. 27. art. 1.

17. Vides, lector candide, *propter solam beatitudinem, tamquam finem ultimum, virtutes esse amandas, easque ad hunc finem proprium ac legitimum non ordinare, esse inordinatum.* Quo quid est clarius? & tamen falsum esset, nisi beatitudo foret omni creaturæ intelligenti finis naturalis ultimus.

Denique rogamus D. C. an possit vel unum aut philosophum aut theologum appellare, qui secus sentiat? Video conjecturas, consecutiones, ratiocinia, alia ejusmodi disertissime copiosissimeque congesta, quæ

non ad elucidandam, sed ad involvendam rem omnino pertineant, animumque abstrahant a vero quæstionis statu. De his suo loco dicam: nunc quæro an possit afferre pro sua sententia vel unius auctoris conclusionem, assertionem, propositionem? si habet; proferat: si vero non habet qui nullam protulit, cesset incessere communem omnium theologiam.

ARTICULUS VI.

De personato Lovaniensi.

18. Mirum in sanctum Augustinum, in s. Thomam, in Estium, in Silvium, Belgii decora, personatum Lovaniensem adductum, cujus hæc verba sunt: *a sanctis Augustino & Thoma aliisque multis significari haud infrequenter, desiderium beatitudinis adeo hominis pectori insitum atque inseparabile, ut quodammodo interveniat omnibus affectibus, motibus, actibus*: quibus verbis, ut potest, certissimam & evidentissimam veritatem extenuat. Quid enim *multos* tantum, & non omnes omnino commemoras? quin appellas vel unum qui a s. Augustini, totiusque adeo generis humani auctoritate discesserit? quam ægre autem verum confiteris, qui hæc dixeris *haud infrequenter* asserta, quæ nullam non oppleant paginam? Denique quid sibi vult tuum illud *quodammodo*? isthuc ne est intervenire *quodammodo*, quod interveniat *ut finis ultimus propter quem* fiant omnia? quod interveniat ut *objectum proprium* ac naturale: *objectum enim voluntatis est beatitudo*; nec

Lett. d'un théol. de Louv. pag. 67.

Vid. sup. n. 8. & seq. usq. ad 14. Ibid. ex S. Th.

nec proinde magis separari ab actu voluntatis beatitudo potest, quam a visione lumen aut color.

19. Porro Lovaniensis suum illud *quommodo* interpretatur his verbis : *ut amor beatitudinis interveniat semper actibus nostris saltem virtualiter, indirecte, implicite, confuse*, quo quidem veris falsa permiscet : quid sit illud *confuse* suo loco memorabimus ; certe non *indirecte* intervenit, quod habet objecti proprii, ac finis ultimi rationem : quod intervenit, ut illud *immobile* quo motus omnes fulciuntur, ut dicebat s. Thomas : quod intervenit more *primorum principiorum* in conclusione omnis argumentationis, vero ac necessario influxu. Quare longe abest ab interventu *indirecto* influxus ille *implicitus & virtualis*, quo efficitur, ut quemadmodum intellectus primarum rationum sive principiorum vi, ita voluntas beatitudinis tamquam objecti proprii ac finis ultimi virtute moveatur. Non ita verus Lovaniensis finis ultimi rationem ac vim, sanctorumque Augustini & s. Thomæ auctoritatem eluderet.

Ibid. pag. 68.

ARTICULUS VII.

Ex his error gravissimus circa beatitudinem.

20. Hinc D. Cameracensis error gravissimus : nempe Meldensi, errori imputatum, *hominem sibi numquam avellere posse motivum beatitudinis in ullo actu ratione prædito : hominem cui jactitant inesse facultatem agendi sine beatitudinis motivo non se amplius nosse, & sibi illudi credere, dum amo-*

Resp. ad Sum. doct. p. 5.

Inst. sur les etats d'or. p. 458.

rem sine beatitudinis proposito prædicat. Verba mea recognosco haud infeliciter ex gallico versa: nec pudet, etsi centies toto illo libello id mihi errori imputatur: quos locos falsus quoque Lovaniensis D. Cameracensi fidus, exscribit.

Lett. d'un theol. de Louv. p. 32. &c.

21. Adversus illam non meam, sed totius theologiæ sententiam plenis velis invehitur in ea *dissertatione* cui titulus: *Veræ oppositiones inter doctrinam D. Episcopi Meldensis & meam*: in qua dissertatione & antedicta profert (n. super.) & hæc addit: *Meldensis pollicetur se demonstraturum ex scriptura & patribus vocem esse communem naturæ totius, nec minus philosophorum quam christianorum, omnes velle esse beatos, & nolle non posse, neque sibi eripere posse hoc motivum in quocumque actu quem ratio eliciat: ita ut omnium actuum, tota schola consentiente, is sit finis ultimus*. Mirum: hæc verba mea tamquam inusitata reprehendit; ex his litem movet tota dissertatione viginti totis eoque amplius paginis. Quanto citius quæstionem absolveret, si adduceret vel unius theologi conclusionem ullam! nos enim totam scholam testem afferimus: s. Thomæ dicta nihil aliud quam exscribimus: ipse vero an vel unum theologum profert, cui novum sit, aut dubium saltem, *omnes velle esse beatos, eumque finem esse ultimum omnium actuum humanorum, quem nemo nolle possit?* nullum: quid igitur? ratiociniis, incommodis frustra excogitatis, consecutionibus, conjecturis, sermonem consumit omnem: nec umquam cogitat duplex incommodum: alterum, quod sub meo nomine s. Thomæ dicta reprehendit

Opp. p. 5.

Ibid.

pre-

prehendit: alterum, quod sibi ipsi adversatur, ut sequentia declarabunt.

ARTICULUS VIII.

S. Thomas sub nomine Meldensis vapulat.

22. Urget sane nos D. C. his verbis: *si Deus, inquit Meldensis, non esset totum hominis bonum, id est alia locutione beatitudo illius, tum homini non esset amandi ratio, quæ alio modo non explicatur*. Hæc igitur mea verba sunt ex Statibus orationis, quæ Cameracensis aperte reprehendit, nec advertit hæc verba non esse mea, sed expresse s. Thomæ ita inferentis: *quod unicuique erit Deus tota ratio diligendi; eo quod Deus est totum hominis bonum: dato enim per impossibile, quod Deus non esset totum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi:* qui locus s. Thomæ ad libri mei marginem erat allegatus.

Resp. ad Sum. p. 5.

Inst. sur les etats, &c. p. 458.

2. 2. q. 26. art. 13. ad 1.

Ibid.

Ibid.

23. At enim id Meldensis interseruit, *totum hominis* bonum alia locutione esse beatitudinem: sane: revera enim beatitudo quid est aliud *quam totum hominis bonum?* neque reprehendi potest Meldensis Episcopi interlocutio.

24. An forte reprehendis illud meum: *non alio modo exprimi diligendi rationem*? quo enim alio modo melius exprimi potest *ratio diligendi*, quam his ipsis verbis, ratio diligendi?

25. Non ergo Meldensis, sed s. Thomæ verba Cameracensis imprudens, ad latus licet annotata, Meldensi crimini vertit, eumque ut scholæ inimi-

cum

eum proscribendum decernit ab academiis, licet appellato scholæ principe gloriantem.

Opp. p. 20. 23. &c. 26. Atqui auctor non semel in eum impingit scopulum: ecce enim in illa dissertatione de veris oppositionibus inter meam suamque sententiam: *secundum Meldensem*, inquit, *si per impossibile Deus non esset hominum beatitudo, non esset illis ratio diligendi*. Quæ iterum atque iterum mihi imputat; atque ex his in tot absurda me conjicere nititur: nec me, sed s. Thomam cujus hæc verba sunt.

ARTICULUS IX.

Quod D. Cameracensis sibi ipsi adversetur; & de necessario appetitu beatitudinis.

Inst. past. pag. 24. 27. Quidquod non jam sanctum Thomam, sed se ipsum in me reprehendit? quippe qui in Instructione pastorali confitetur, *necessitatem esse indeclinabilem ut nos ipsos* semper *diligamus, neque fieri posse ut nos diligamus, nisi nobis optemus supremum illud bonum, quod est unum necessarium*. Recte ergo asserimus, tam nemini homini eripi posse, quin *semper*, adeoque in omni actu motivum habeat beatitudinis, quam nemini potest eripi, quin se ipsum *semper* & sine intermissione diligat.

Inst. past. pag. 47. 28. Rursus Cameracensis in eadem Instructione pastorali docet, non posse negari illud *quod supponit Augustinus indeclinabile pondus, continuamque impulsionem* (tendentiam) *in beatitudinem, idest in fruitionem Dei*. Sin autem continua est, nulli actui deest; si indeclinabilis, nulli deesse potest: ergo

ergo iterum atque iterum recte asserimus, nemini motivum illud umquam eripi posse: illud tamen ipsum est, quod D. Cameracensis in me vel acerbissime reprehendit.

29. At enim *id Augustinus asserit de beatitudinis innato, nec deliberato appetitu.* Sic respondet Cameracensis: sed quid nostra nunc? utcumque enim se res habeat, pro certo relinquitur, homini deliberanti, ac ratione utenti motivum beatitudinis deesse non posse; quod & erat a me probandum, & a D. Cameracensi maxime reprehensum.

30. Nec tamen sinimus, D. Cameracensem in æquivoco ludere; si enim innatum, sive naturalem beatitudinis appetitum cæcum illum nominat sui boni appetitum, quem & in plantis & in lapidibus tota schola, & ipse etiam s. Thomas, passim agnoscunt: non eo sensu homo appetit beatitudinem, sed sciens volensque, sed ex cognitione indita: nemo enim non habet a natura insitam boni a se appetendi rationem & ideam, quæ cognitio quatenus clara sit, infra referemus: nunc id sufficit, ne cæco impetu in beatitudinem trahi nos putemus; sed ex cognitione certa, adeoque ex appetitu non quidem deliberato, sed tamen elicito, qualis est beatorum Dei visione fruentium necessarius, nec liber, aut deliberatus, sed tamen a voluntate elicitus divini boni amor, ut dictum est (num. 9. 10. & seq.).

31. Præclare igitur s. Thomas nos docuit, talem esse in nobis amorem beatitudinis generatim, qualis est in beatis Dei visi amor: id est tam necessarius,

sarius, & tamen tam elicitus, veræque voluntatis actus, licet non deliberatus, nisi forte quoad actuale quoddam exercitium.

32. Nihil ergo agit præsul, dum innatum beatitudinis amorem confessus, ab elicito, immo & a deliberato actu motivum beatitudinis amovere se posse putat; profecto enim vel illud cogitare debuisset, omne deliberatum ex insito & naturali procedere, neque posse non esse illi congruum: omne liberum naturali & immobili niti, ut docuit s. Thomas (nu. 13.) denique nullum actum ab objecto suo, a suo fine ultimo separari posse, ut supra constitit (nu. 8. & seq.).

33. Habet quidem id animus humanus, ut quæ sibi vel maxime cordi sunt, ea non semper actu expresso & perspecto cogitet: quin etiam ejus rei quam vel maximo amore prosequatur, occurrentem sibi cogitationem ad tempus avertere, & alia cogitatione actuali & expressa magis detineri velit. Neque tamen propterea minus agit ex illo intimo ac latente motivo & appetitu: id enim agimus, id omnes theologi nullo excepto volunt, ut quivis actus ratione præditus elici debeat ex motivo beatitudinis, non explicite semper, sed sive explicite, sive implicite & virtualiter: (ex n. 4. prop. 2. & seq.) nullus ergo est actus ad quem revera non impellamur beatitudinis studio, ejusque virtute: neque fieri potest, quin expressa persæpe se prodat intentio. Ita ergo abstrahi potest animus a motivo beatitudinis, ut numquam ab implicito & virtuali saltem; ab explicito vero non diu temperetur: sicut Lutetia profici-

fciscenti Romam, non quidem semper, sed sæpe recurrat necesse est Roma quam petit. Quæ cum auctor impugnat, non me, sed sanctum Thomam, sed sanctum Augustinum millies, sed totam theologiam, ipsamque naturam; immo vero etiam seipsum impugnat, ut dictum est.

ARTICULUS X.

Summa dictorum in hac q. 2.

34. Summa dictorum a theologis de amore naturali beatitudinis, his fere propositionibus continetur:

I. Omnes utentes & fruentes, hoc est omnes ratione usos, velle esse beatos (n. 7. & 15.)

II. Id commune Angelis & hominibus, n. 9. 10. 11.

III. Inclinationem, sive appetitum ad beatitudinem tamquam ad finem ultimum in intellectualibus creaturis, ita esse naturalem, ut ex cognitione sit elicitus. ibid.

IV. Hanc esse naturam voluntatis humanæ, ut & beatitudinem & ea quorum necessaria connexio cum beatitudine clare intelligitur, necessario appetat. (n. 12.),

V. Ex his quæ necessario appetuntur, tamquam ex immobili præsupposito fundamento, elici ac prosilire omnes liberos actus: eo ritu modoque, quo in intellectivis conclusiones omnes a primis rationibus ac principiis oriuntur. (n. 13.)

VI. Beatitudinem esse voluntatis objectum, & quæ sit hujus rei radix. (n. 14.)

VII.

vii. Propter beatitudinem amandas esse virtutes. (n. 15.)

viii. Omnium affectuum radicem esse appetitum eum, quo quis sibi bene vult, & beatitudinem generatim cupit. ibid.

ix. Inordinatum esse actum omnem, qui non ordinatur ad beatitudinem tamquam ad legitimum finem. (n. 16.)

x. Quam sit absurdum, amorem naturalem beatitudinis influere indirecte tantum in omnes actus humanos. (n. 19.)

xi. Qui hæc negaverit, neminem adductum nec adduci potuisse. (n. 18. 21.)

xii. Sub meo nomine valupasse ipsissima s. Thomæ verba a me diligenter exscripta. (n. 22. & seq.)

xiii. Qui hæc impugnavit, sibi ipsi adversari. (n. 27. 28. 29. 38.) Atque hæc de amore naturali beatitudinis dicta sunt.

QUÆSTIO III.

De amore supernaturalis beatitudinis, quatenus spectat ad caritatem: ad n. 4. prop. 7. & 8.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententia sancti Thomæ.

35. Cum gratia supponat naturam, eamque perficiat, definitumque ab universa schola sit, naturæ totius ultimum finem esse beatitudinem: consectaneum est, ut & gratia homini christiano proponat bea-

beatitudinem, quam in quocumque actu justus exquirat: qua de re totius scholæ, ac primum sancti Thomæ mentem exponimus, ejus locis ordine recensitis.

36. Ex 1. 2. *caritas non est quilibet amor Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum*. (65. art. 5. ad 1.) 1. 2. q. 65. art. 5. ad 1.

37. Item ex quæstione 114. art. 4. *motus humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis; per quam omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem*. Ibid. q. 114. 4.

38. Jam veniamus ad 2. 2. q. 23. & sequentes; quibus sanctus doctor rem expresse tractat: caritas quæ est amor, non concupiscentiæ sed amicitiæ, hoc est vera & genuina caritas, *fundatur super communicatione hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*. (q. 23. art. 1.) 2. 2. q. 23. 1.

39. *Hoc fundamento posito consequuntur ista: bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet rationem specialem boni; & ideo amor caritatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor*. art. 4. Ibid. art. 4.

40. Articulo vero 5. jungit divinam bonitatem ut objectum, cum ipsa *communicatione beatitudinis super quam hæc amicitia fundatur*. (caritas scilicet.) Ibid. art. 5.

41. Quæstione deinde 26. art. 1. *dilectio caritatis tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia caritatis fundatur*. (unde sequitur ad 1.) *caritas tendit in ultimum finem sub ratione finis ultimi, quod non convenit ulli virtuti, ut supra dictum est:* postea art. 2. *Deus præcipue ex caritate diligendus: ipse enim diligitur ut beatitudinis causa*.

42. Lo-

42. Locus autem ubi dicit, unius esse caritatis, ut ordinet cæteras virtutes in finem ultimum, est q. 23. art. 7. cujus fei radix est, *quod ultimum quidem & principale bonum hominis est Dei fruitio, & ad hoc ordinatur homo per caritatem.*

43. Cætera innumerabilia prætermittimus, quia ista sufficiunt, ut habeantur hæc quinque: 1. amorem amicitiæ sive caritatem fundari in communicatione beatitudinis. 2. Bonum divinum in quantum est objectum beatitudinis a caritate spectari. 3. Caritatem tendere in Deum ut est principium & causa beatitudinis. 4. Caritatis esse non alterius cujusque virtutis, ut in Deum tendat tamquam in ultimum finem: qui finis ultimus est ipsa beatitudo, ex ante dictis (supra q. 2. n. 8. & seq.) 5. Ultimum & principale bonum hominis esse fruitionem Dei, ad quam ordinatur homo per caritatem.

44. Hæc igitur sunt quæ in Instructione de Statibus orationis ex s. Thoma protuli: hæc sunt quæ D. Cameracensis in me reprehendit: quamvis nihil aliud quam Angelicum doctorem excripserim; tanta cautione, ut ne quidem simpliciter & absolute dixerim, caritatis objectum esse Deum ut *communicatorem beatitudinis, sed eam esse unam ex formalibus rationibus diligendi Deum*, sive primariam sive secundariam; a qua quæstione tunc ultro abstinere me profitebar.

Inst. sur les etats d'or. p. 457. 458. Oppos. p. 2. 3. &c.

Inst. sur les etats d'or. p. 458 459. Ibid. p. 465.

AR-

ARTICULUS II.

Quæ hic mihi imponantur.

45. Ea de re D. Cameracensis hæc verba sunt: *Si D. Meldensis hæc de Deo diceret ut est objectiva beatiudo inter alia attributa includens, quod sit beatificus, posset conciliari cum schola; sed quod molestum est, non de Deo loquitur, sed de beatitudine quam nobis communicat Deus: Deumque respicit tantum ut est causa, principium, objectum beatitudinis:* quæ verba non mea sunt, sed expresse sancti Thomæ, ut vidimus (n. 36. 39. 41.). *Oppos. p. 3.*

46. Ego vero adeo hic directe spectabam Deum, ut id etiam expresserim, *Deum dirigi ut communicatorem beatitudinis*, sive ut ait s. Thomas, *secundum quod nobis communicat suam beatitudinem* (sup. n. 38. 44.). Si ergo hæc gravia molestaque sunt, horum reprehensio non in me, sed planissime in sanctum doctorem cadit. *Inst. sur les etats d'or. p. 458. 459.*

ARTICULUS III.

Quid ad sanctum Thomam reponatur.

47. Personatus Lovaniensis objicit in Statibus orationis multos s. Thomæ locos *confuse* esse allatos: nec mirum, cum non rem ipsam tractandam, sed rei summam delibandam suscepissem. Ut deinde respondeat ad tot perspicuos sancti doctoris locos, copiosissime exponit doctrinam, cujus hæc summa est. *Lett. d'un theol. de Louv. p. 51.*

48. *S. Thomam ex ss. Dionysio & Augustino agno-* *p. 52. 55.*

visse, amorem ex natura sua esse vim unitivam amantis & amati. Hinc ex eodem s. Thoma diversificari amorem in varias species, non solum per fines & motiva, sed etiam secundum varia genera unionis amanti proposita.

Ibid. p. 53. 54.

P. 55. 56.

49. Ex his s. Thomæ, s. Dionysii, & s. Augustini locis facile intelligitur, duo consideranda esse in amore caritatis: primum, divinam bonitatem, quam ille amor præcise spectet ut finem & motivum formale: alterum, in eadem caritate esse considerandam eam rem, quam omnis amor respicit, & in quam essentialiter tendit: nempe quamdam unionem cum amato, ad quam omnis amor aspirat, & eam rem s. Thomæ esse ipsam communicationem æternæ beatitudinis.

P. 56. 57.

50. Cæterum illam communicationem beatitudinis, quatenus est unio cum Deo, non esse finem, motivum, & rationem formalem diligendi; sed tantum respici beatitudinem, ut rem in qua consistat illud unionis genus ad quod aspirat caritas.

Ibid.

51. Ergo unionem illam adeo non esse motivum caritatis, ut ipsa caritas ex perfectionis divinæ motivo illam requirat unionem.

Oppos. pag. 26. 27.

52. Hæc fictus Lovaniensis: quæ in pauca contrahuntur in dissertatione de oppositionibus. Nunc autem quam hæc quoque vana sint, sequentes quæstiunculæ ostendent.

AR-

ARTICULUS IV.

Quæstiunculæ de desiderio unionis in amore caritatis.

53. Quæro primum, utrum caritas separari possit a desiderio unionis? Negat auctor ex sanctorum Augustini, Dionysii & Thomæ decretis, quibus constat, ipsum amorem ex natura sua vim esse unitivam: (n. 48.) adeo ut ad illam unionem omnis amor respiciat, & ad eam *essentialiter* tendat: (n. 49.) quod autem essentiale est omni amori, ab amore caritatis separari non potest.

54. Quæ cum ita sint, quæro secundo, quomodo ista conciliet cum illa caritate, quæ nullum omnino habeat respectum ad nos; & an desiderium unionis absque illo respectu constare possit.

55. Quæro tertio, quomodo jam stare possit ille præsuli perfectissimus caritatis actus, quo quis à Christo separari ambit, cum amori *essentiale sit* quærere unionem.

56. Perpiscuum igitur est hæc stare non posse; eo sensu quem tuetur auctor, eaque retractari, & aliam omnino viam iniri oportere.

57. Quæro quarto, quo nomine appellet illam unionem quam essentialiter omnis expetit caritas: si neque finis, neque motivum, neque ratio ulla formalis diligendi est, rogo, quid est? vel qua voce appellanda?

58. Quod ais, nedum habeat motivi rationem, ipsam Dei perfectionem esse motivum cur hæc unio requiratur: id quidem demonstrat non esse motivum præcipuum, nec proinde primarium: si autem dixeris

ris nullum esse motivum, id quod adeo moveat ut essentialiter appetatur, aperta contradictio est. De motivo sane secundario quem auctor nec tacet nec capit, alibi disseremus, & omnia ista ex scholæ decretis facile componemus.

Ibid. p. 27.

ARTICULUS V.

Fictus Lovaniensis aperte sancti Thomæ auctoritatem eludit.

59. Nunc ut perspicuum sit quantum a s. Thomæ doctrina aberretur, id unum profero. Ostendit s. Thomas, amicitiam quæ est caritas, fundari in communicatione beatitudinis, non ea præcise causa quod amor sit unitivus, quamquam etiam ea, sed eo quod caritas sit amicitia mutuam communicationem postulans, (ex annotatis supra n. 38. & seq. & ex 2. 2. q. 23. art. 1. &c.)

Oppos. pag. 26.

60. At quam auctor hæc eludat, docent sequentia: *pars locorum sancti Thomæ quos Meldensis adducit, respiciunt tantum amorem singularis amicitiæ, non vero naturam caritatis.* Hominum fidem! Non ergo agit sanctus doctor de natura caritatis quæstione 23. in qua expresse de caritate tractat prout est opposita fidei & spei? Non agit de natura caritatis cum eam ex natura sua esse demonstrat veram amicitiam mutua communicatione constantem? quos autem ego alios sancti Thomæ allegavi locos, nisi inde depromtos? Sperat tamen auctor, hæc a se traduci posse ad amicitiam singularem, quæ sit a caritate distincta: adeo omnia a se dici & approbari posse confidit.

61. Per-

61. Pergit: *vult quidem sanctus Thomas eam esse* *amicitiam, quæ communicationem mutuam bonorum postulet: non autem id esse motivi loco in amicitia.* Quid ergo illud est apud sanctum Thomam, Deum diligi *ut est causa, principium, objectum beatitudinis*, & alia quæ supra annotata sunt (n. 39. & seq.) an hæc quoque a se obliterari posse sperat, & publicæ fidei tam aperte illudi?

Ibid. p. 14.

62. Nec minus inane est illud: *hos locos indicare tantum, caritatem habere pro objecto Deum ut beatificum, non autem beatitudinem*: ludicrum & supra confutatum; (n. 45. 46.) quid est enim beatificum sine beatitudine, aut quid est beatitudo, sine fruitione boni, benevoli, benefici, beatifici? Quod addit: *s. Thomæ locos eo pertinere, ut ostendat a caritate spectari Deum non secundum naturalem ordinem, sed quatenus nos elevat ad videndum intuitive Deum*: obtrudit quidem ea quæ sanctus doctor tacet, premit vero ea quæ totis quæstionibus, articulisque docet de mutua amicitia, de communicatione super qua illa fundatur: de objecto, de fine, de principio, de causa quibus diligatur Deus; de respectu finis ultimi, idest Dei fruendi, ipsiusque beatitudinis, proprio caritati, aliaque a nobis supra memorata: (n. 38. 39. & seq.) quorum cohærentiam aptamque connexionem cum reliquis scholæ ac ipsius s. Thomæ decretis ostendemus: nunc sufficit sanctum doctorem a præsule, fidoque Lovaniensi, quem nemo cognoscit, nec esse intellectum, ac sub meo nomine vapulasse.

Ibid. p. 17.

ARTICULUS VI.

De sancto Bonaventura.

63. Sancto sanctum jungimus Bonaventuram Thomæ: ejus autem doctrina hæc est: quod *caritas quidem ex beato Bernardo præmium non intuetur*; (verum ad id) *dicendum, quod illud intelligitur de præmio creato: de præmio autem increato non habet veritatem, quia maxima caritas, maxime desiderat uniri Deo & habere Deum*: en quæ optet non homo habens caritatem, sed ipsa caritas, nedum a caritate perfecta hæc separari possint.

In 3. d. 26. art. 1. ad 4. Obj. 5. & ad 5.

64. Neque ideo minus asserit, *habitu caritatis habilitari nos ad adhærendum primæ bonitati propter se & super omnia*. Rursus: *duplicem esse mercedem, creatam & increatam, temporalem & æternam: & secundum hoc, duplicem mercenarium, videlicet bonum & malum: & duplicem mercimoniam, unam laudabilem, alteram vituperabilem: nam qui*, inquit, *principaliter respicit ad mercedem creatam & temporalem, malus mercenarius est & hunc vituperat Dominus: ille vero qui respicit principaliter ad mercedem æternam de qua dicitur: merces tua magna nimis; bonus mercenarius.*

Ibid. dist. 27. art. 1. q. 4.

Ibid. art. 2. q. 2.

65. Neque respondendum, agi de homine secundum habitum justo, qui spem exercere possit: agitur enim in titulo quæstionis, de motu caritatis, an possit esse mercenarius: unde sic loquitur: *de prima mercimonia intelligendo, non est dubium, quod motus caritatis non potest esse mercenarius. De secunda mer-*

cimo-

cimonia dubium esse fatetur: nam quidam, inquit, *voluerunt dicere quod non est a caritate, sed ab affectu quodam naturæ, caritatem concomitante. Aliis autem videtur, quod talis affectus mercenarius possit esse a caritate: desiderium enim habendi æternam mercedem, & fruendi æterno bono, est desiderium gratiæ; nec est amoris naturalis aut acquisiti, sed gratuiti* (a gratia proficiscentis.)

66. Hanc quidem dubitationem movet: ipse autem inclinat ad eam partem quæ dicit, *quod motus caritatis possit esse mercenarius, secundum quod constituit mercedem suam circa bonum increatum ad quod tendit sicut ad finale præmium.* Vides iterum atque iterum, non hominem qui caritatem habeat, sed ipsum caritatis motum intentum esse Deo ut præmio æterno & increato.

67. Ex quo principio sic respondet ad quartum: *quod objicitur de timore, quod ille qui principaliter habet oculum ad pœnam non potest Deo esse acceptus: dicendum quod non est simile: nam cum pœna nec sit Deus, nec aliquid Dei; qui principaliter aspicit pœnam tamquam finem ultimum, non est recte ordinatus, cum principaliorem habeat intuitum ad aliud quam ad Deum: sed merces & beatitudo summa est ipse Deus: ideo ipsam principaliter potest quis aspicere, & tamen in finem recte ordinatus esse.* En caritatis, non modo habitus, sed iterum etiam *motus* in mercedem æternam intentus, idque principaliter ex s. Bonaventura: quem ideo, ut & s. Thomam, ab academiis mecum proscribendum proponi oportebat.

Ibid. ad 4.

68. Neque dicas, Sanctum sub dubio loqui: ultro enim confitemur fuisse tum aliquos, qui æternæ mercedis intuitum procedere volebant, non *a caritate per se, sed ab affectu naturali*: quæ nunc opinio penitus exolevit: immo aperte est hæretica, quæ desiderium possidendi Dei, naturæ non gratiæ tribuebat. Ipse vero sanctus & contrarium docet, & de ipso *motu* caritatis loquitur: & eum motum æternæ mercedi quæ Deus est, intentum esse posse asserit: & objecta ex Bernardo clare solvit: unde exisit ista conclusio: *& sic patet, quod nullum est inconveniens dicere, quod motus caritatis posit esse mercenarius, si dicatur esse mercenarius ex intuitu mercedis æternæ & increatæ*: eoque principali, ut mox dictum est.

Ibid.

ARTICULUS VII.

Responsio præsulis.

69. Hunc locum præsul protulit, ac respondet, loqui sanctum Bonaventuram de caritate *generice, prout comprehendit tam amorem concupiscentiæ, quam amorem amicitiæ*. Sed contra est, quod in ea disinctione s. Bonaventura post Magistrum, & cum omnibus scholasticis, agit specialiter de caritate prout est contradistincta a fide & spe, easque virtutes ex informibus formatas facit; quod sola præstat proprie dicta caritas. Ibidem agit de proximi caritate, aliisque ad veram caritatem pertinentibus, eique subnexis. Si autem de amore concupiscentiæ agit, hujus rei causa est, quod utrumque amorem ad proprie

4. Lett. a M. de P. §. 10.

Ibid. dist. 27. art. 1. q. 4.

dictam

dictam caritatem pertinere, ipse quidem docet, ut statim apparebit, & suo loco elucescet.

ARTICULUS VIII.

Alius locus ab auctore prolatus ejus responsionem confutat.

70. Confirmatur hæc auctoris confutatio ex loco quem ipse profert, sed truncum & mutilum: hujus autem loci hæc verba sunt: *actus caritatis est diligere: diligere autem id est quod velle bonum; cum ergo caritas diligit aliquem, bonum optat ei quem diligit: illud autem bonum quod caritas optat unum solum est, videlicet bonum æternum & summum bonum. Istud autem summum bonum aliquando homo per caritatem optat Deo, aliquando sibi, aliquando proximo. Secundum quod optat ipsum ipsi Deo, dicitur diligere Deum, quia vult quod ipse Deus sit summum bonum, & quod habeat omne bonum per essentiam: secundum quod optat illud proximo, dicitur diligere proximum, quia vult quod habeat illud bonum per gratiam & gloriam: secundum quod optat illud sibi, diligit seipsum.* En locus ille ab auctore prolatus, in quo exscribit ea quæ Dei caritatem exprimebant: premit autem, quæ proximi & sui, in quibus tota erat declaratio veritatis.

4. *Lett. p.* 42. *S. Bonav. ibid. art. 1. q. 2.*

71. Hinc exurgit demonstratio: ipse fatetur auctor hic agi de vera & proprie dicta caritate; atqui illa caritas optat sibi summum bonum: ergo vera & proprie dicta caritas optat sibi summum bonum. Confirmatur: eadem caritate homo optat sibi summum

bo-

bonum, qua Deo, & proximo illud optat: atqui Deo & proximo illud optat per veram & proprie dictam caritatem: ergo optat etiam sibi vera & proprie dicta caritate. Quæ verba s. Bonaventuræ non solum ejus sensum, sed etiam ejus doctrinæ veritatem clare aperteque demonstrant.

ARTICULUS IX.

Alii loci: ubi de summo bono, & de fine ultimo, deque fruitione.

72. Alio loco Seraphicus doctor hanc proponit quæstionem: *an caritas in diligendo præponat Deum nobis*: in qua quidem hæc statuit. 1. *quod caritas facit Deum diligi tamquam finem ultimum & tamquam summum bonum*: 2. *quod caritas, quia diligit Deum sicut summum bonum, diligit eum super omnia*. 3. *quia diligit sicut finem ultimum, diligit eum propter se*. 4. subdit: *quod autem diligitur propter se & super omnia, diligitur dilectione fruitionis: quod vero propter aliud diligitur, diligitur dilectione usus*. 5. ex his infert quintum, nempe *quod caritas facit nos Deum plusquam nos ipsos diligere*.

Ibid. dist. 29. art. 1. q. 2.

73. Quid sit autem diligere propter ultimum finem, amore scilicet *non usus sed fruitionis*, ex ipsis initiis repetendum; nempe ex dist. 1. in 1. sententiarum, ubi distinctio fructus & usus ex Augustino explicatur: sic autem loquitur sanctus: *solus Deus perfecte se fruitur: nihil autem aliud ab ipso potest perfecte se ipso frui: solus enim Deus est summum bonum & diligit se fruendo se, & ita nec fruitio*

In 1. dist. 1. dub. 12.

Dei

Dei nec usus est cum indigentia, sicut nostra fruitio & usus. Unde patet ipsum *frui* nostrum ex indigentia nostra dici, ac nostrum finem ultimum esse eum qui sit summum bonum nostrum fruendum & habendum, non autem utendum, sive ad aliquid aliud referendum.

74. Ex his solvit objectionem istam: *ad illud quod objicitur, quod contingit recte servire intuitu mercedis: dicendum; quod illa merces aut est ipse, sicut dominus dixit ad Abraham, ego merces tua, & sic intuens mercedem non utitur Deo, quia non refert ad aliud.* Ex quo clare intelligitur, quid sit illud quod sanctus vocet finem ultimum, nempe id quo fruimur.

Ibid. art. 1, q. 1.

75. Hinc illa quæstio: an Deo sit fruendum: statuit autem, *quod eo fruendum est quod beatos nos facit, quia in beatitudine est recta fruitio: sed Deo beati efficimur, quia ipse est nostra beatitudo: & postea: respondeo: ad arg. dicendum, quod Deo fruendum est, eo quod ipse solus perfecte finit & delectat ipsum animum propter se, & super omnia:* qui est manifeste finis ultimus *perfecte* finiens.

Ibid. art. 3, q. 1.

76. Duo ergo perspecta sunt: primum, ipsum frui Deo ut mercede, esse finem illum ultimum, de quo loquitur Sanctus: deinde illud *frui*, etsi respectum habeat ad nos, non tamen efficere ut Deum ad nos referamus; immo nos ad Deum: aliud enim est, Deum amare propter aliud, quod est inordinatum: aliud est, illud ipsum quod propter se amamus, velle & cupere nobis tamquam finem nostrum ultimum: quod est rectissimum & ordinatissimum, ut & ex

ante-

antecedentibus constitit, & etiam sequentia suo loco declarabunt.

77. Nunc ergo redeundo ad illam quæstionem: *an caritas in diligendo Deum præponat sibi*, ex ipsis principiis Seraphicus doctor & quæstionem solvit, ut vidimus, & ad objecta respondet: præsertim autem ad 6. *ad illud quod objicitur, nihil potest alteri magis uniri quam sibi: potest dici quod Deus magis est intimus unicuique rei quam ipsa sibi, & plus pendet esse rei a Deo conservante, quam ab ipsis principiis intrinsecis; & complementum beatitudinis, spiritus rationalis habet a Deo non a se ipso: & ideo cum dicitur, quod nihil potest alteri magis uniri quam sibi; si hoc intelligatur de creaturis, veritatem habere potest; si vero intelligatur de ipso Deo, veritatem non habet: Deus enim intime illabitur ipsi animæ, & ideo anima ex intimis medullis habet Deo adhærere, & cum habet caritatem, amplius tendit in ipsum quam in se, & in eo requiescit amplius quam in se, quia melior est ei Deus, quam ipsa sibi*. Quæ magis magisque efficiunt, ad caritatem pertinere, quod velimus habere Deum ut nobis optimum, & ab eodem affectu qui sit nobis intimus, caritatem omnino avelli non posse: quæ ipsissima nostra, nec jam tantum s. Thomæ, sed etiam s. Benaventuræ sententia est, quorum adeo conjuncta auctoritate jam utimur.

[1] In 3. dist. 29. art. 1. q. 2.

Ibid.

AR-

ARTICULUS X.

De illis verbis Pauli: cupio dissolvi &c. *ex ss. Thoma & Bonaventura : ad n.* 4. prop 8.

78. In ea propositione diximus, certum esse omnibus theologis, locum illum Pauli: *cupio esse cum Christo*, pertinere ad caritatem & esse caritatis: cujus rei testem adducimus primum s. Thomam; deinde s. Bonaventuram. S. Thomæ hæc sunt, de distinctione trium graduum caritatis: *tertium studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi & esse cum Christo:* ecce perfectorum & ipsius Pauli studium, idque *principale, ut* Christo perfruantur. Unde idem sanctus doctor ad caritatem referri supponit, quod quis desideret esse cum Christo: ex quo desiderio consequatur ut dicat: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* (ibid. q. 28. art. 2. ad 3.).

2. 2. q. 24. art. 9.

Ibid. q. 28. art. 2. ad 3.

79. Sanctus autem Bonaventura docet, *illud Pauli esse amoris gratuiti*: ex quo probat, *ad effectum caritatis non tantum spectare amare Deum amore amicitiæ, immo etiam amore concupiscentiæ. Frui enim*, inquit, *est amore inhærere, & constat quod frui Deo est per caritatem:* Quod hujus Sancti locis supra memoratis apprime congruit. De amore autem concupiscentiæ ex iisdem doctoribus multa commemorare possemus, sed prætermittimus, quia non sunt hujus loci; immo forte in totum nec hujus quæstionis. Sufficit autem ut certum sit id quod asseruimus;

In dist. 27. art. 2. q. 2

illud

illud Pauli: *cupio dissolvi & esse cum Christo*, esse caritatis; duobus scholasticis sanctis doctoribus id clare asserentibus, nullis contradicentibus.

80. Summa autem dictorum est: S. Thomam sub nostro nomine esse reprehensum; sanctum autem Bonaventuram haud minus clare consentire nobis: quare in ea quæstione, in qua coarguimur tamquam scholæ inferentes bellum, habere nos consentientes ss. Doctores scholasticos duos maximæ auctoritatis, Angelicum videlicet & Seraphicum doctorem. Jam de alio scholæ principe Scoto facile transigemus.

QUÆSTIO IV.

De secundariis rationibus objectivis caritatis: ad n. 4. prop. 22. 25. & seq.

ARTICULUS PRIMUS.

Ratio ac divisio dicendorum.

81. In hac quæstione hæc tria tractabimus: primum, Scoti sententiam: deinde principia de eodem summa ipsa conciliando cum Angelico doctore: denique piorum virorum praxim, & cæterorum scholasticorum sententiam.

ARTICULUS II.

Scoti loci proferuntur.

82. Quando quidem Scotus is est, qui doctrinæ ejus quæ nunc passim in scholis obtinet, fons esse videa-

videatur, placet interserere ejus integros locos sæpe indicatos, totamque viri doctrinam exponere. Posteaquam enim diserte asseruit: *a fide & a spe distingui caritatem, quia actus ejus est tendere in objectum secundum se, etiam si per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas ejus ad amantem;* (in 3. dist. 27. q. unica n. 2.) non ita multo post (n. 7. & seq.) pergit sic: *quod ratio objectiva actus caritatis & habitus potest tripliciter intelligi: vel prima, quæ secundum se apta nata est per se esse ratio terminandi: vel secunda, quæ est aliqua ratio præcedens actum* (amicitiæ in nobis) *propter quam natus est actus elici circa objectum: vel tertia, quæ quasi concomitatur, immo quasi sequitur actum elicitum.* De hac tertia nihil nunc ad nos attinet. De secunda autem hæc observanda sunt. Primum, ut Scotus mox dicebat, eam esse rationem *antecedentem* ad actum amicitiæ, quæ vox veri motivi in actum influentis vim indicat: alterum, propter eam, actum natum elici, & *talis*, inquit, *in proposito est ratio relativa hujus naturæ ad amantem in quantum est bonum communicativum sui illi: sicut enim in nobis primo amatur aliquis propter bonum bonestum; secundo quia scitur redamans; illa redamatio in eo est una specialis ratio amabilitatis in eo alliciens ad amandum, alia quam per bonum bonestum: ita in Deo non sola bonitas infinita, vel hæc natura ut hæc natura, allicit ad amandum, sed quod hæc bonitas amaverit me communicando se mihi. Secundario hoc allicit, & in isto gradu amabilitatis potest poni omne illud*

In 3. dist. 27. q. unic.

Ibid. n. 7.

in

in quo invenitur ratio amabilitatis, *&* *potest demonstrare se redamare*, *sive creando*, *sive reparando*, *sive disponendo ad beatificandum: ita quod inter hæc non sit distinctio*, *nec caritas respiciat magis ultimam* (rationem) *quam secundam*, *nec secundam quam primam: sed omnes sint rationes quædam*, *non solum boni honesti*, *sed boni communicativi & amantis: & quia amantis*, *ideo digni redamari*, *juxta illud Joannis: diligamus Deum*, *quoniam ipse dilexit nos*. Hæc Scotus, a quo proinde hæc tria asseruntur: primum, non solum honestatem esse rationem objectivam caritatis, sed præter hanc *primariam*, inesse *secundariam* plane *relativam ad nos*, quod illa infinita bonitas sit communicativa sui nobis, amans, redamans, etiam beatificans: quæ omnia sine respectu ad nos esse non possunt: secundo, eam esse secundum Joannem apostolum unam specialem amabilitatem in Deo: tertio, eam rationem non modo esse allicientem ad amandum, sed etiam præcedere actum, in eum influere, eamque aptam natam esse ad eliciendum actum circa objectum caritatis. Ex his, quam arcte connexa utraque motiva caritatis, jam patet, & adhuc luculentius & ineluctabiliter demonstrabitur.

ARTICULUS III.

Doctoris Angelici & doctoris Subtilis in summa doctrinæ conciliatio.

83. Scotus autem pro more confutabat hoc loco s. Thomæ sententiam, fundantis ipsam *caritatis sive* *amo-*

amoris amicitiæ rationem, *super communicatione* illa *hominis* ad Deum, *secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*: quod assidue s. doctor inculcat, ut vidimus. Scotus autem tametsi id confutaret, negare non potuit, ad caritatem ita pertinere communicationem illam beatitudinis, ut cum ipso caritatis objecto necessario jungeretur: quæ inter se facile conciliari posse videntur, si dixeris, neque communicationem illam esse præcipuum caritatis objectum, quod nec s. Thomas negat: neque tamen ab eo distrahi oportere, quod Scotus confitetur.

ARTICULUS IV.

Sancti Thomæ loci ad conciliationem apti.

84. Ut autem pateat, quam bene summa ipsa conveniat inter s. Thomam & Scotum, legatur in primis hic locus sancti doctoris: *ad* 2. *dicendum*, *quod caritate diligitur Deus propter se ipsum: unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate, scilicet divina bonitas quæ est ejus substantia; secundum ps.* 105. *Confitemini domino quoniam bonus: aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ & consequentes ex prima.* (2. 2. q. 23. art. 5. ad 2.)

2. 2. q. 23. art. 5. ad 2.

85. De redamatione autem hæc habet s. doctor: *quod caritas non solum significet amorem Dei, sed etiam amicitiam quamdam ad ipsum: quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua.* (1. 2. q. 65. art. 5.)

1. 2. q. 65. art. 6.

86. Scotus vero his gemina docet: posteaquam enim objecit sibi non dari caritatem, *quia talis virtus esset amicitia, quæ non nisi inter æquales esse possit*; (dist. 27. q. un. n. 1.) *respondet*, *caritatem quidem esse amicitiam*, *aliquantulum extendendo* (nomen amicitiæ): *honestas quippe*, inquit, *in diligibili*, & *redamatio in dilecto*, *sunt conditiones per se in diligibili; non quidem imperfectionis; immo non esset perfectior si non redamaret*: unde subdit: *Deus autem habet honestatem* & *redamationem sicut amationem: ex quo excellentius potest esse amicitia ad ipsum*, *ita ut dicatur superamicitia*. ibid. n. 20.

Scot. ibid. n. 1.

87. En quomodo s. Thomas, & Scotus inter ipsa dissidia, tamen de primariis & secundariis rationibus objectivis caritatis, & de necessaria redamatione conveniant: sine qua nec esset amor amicitiæ, hoc est non esset caritas, ut suo loco diligentius ostendetur: nunc autem non res ipsas, sed doctorum decreta & auctoritates attendimus.

ARTICULUS V.

Verba quædam Scoti objecta, & *ex ipso exposita*.

88. Neque nos moveri oportet his vocibus Scoti dicentis, secundam illam rationem dici quidem *rationem objectivam actu allicientem ad amandum*, *sed aliquo modo* & *aliqualiter*: (in 3. dist. 27. q. un. n. 8.) quæ verba nihil aliud volunt, quam ut credantur illa motiva secundaria non habere specifici objecti rationem: neque etiam esse præcipua quæ

ad

ad amandum alliciant: immo vero illi objecto comparata, quod est infinitum in se, pro *aliqualibus* tantum habeantur, cum ab infinita illa movendi virtute procul absint: interim illud certum, secundarium motivum, Dei scilicet communicationem erga nos, a præcipuo motivo non esse distrahendum: esse antecedens ad actum amicitiæ; huic inesse specialem amabilitatis rationem: illudque adeo ad caritatem pertinere, ut cum ipso primario caritatis objecto coalescat: quod etiam sequens locus magis magisque declarabit.

ARTICULUS VI.

Aliis Scoti locis hæc doctrina firmatur.

89. Hanc doctrinam firmat & repetit Scotus in elaboratissimo opere de *Reportatis Parisiensibus*, quibus subdit: *prima ratio diligibilitatis in Deo, est honestum: secunda ratio est redamatio, quæ præcedit actum meum*: (supra: *actum amicitiæ nostrum*) notari autem velim loquentia: *nec potest esse perfectissima ratio diligibilitatis sine utroque horum: in Deo autem prima ratio diligibilitatis est bonestas sua: secunda ratio præcedens actum, est quia amavit nos creando:* (Report. Paris. dist. 27. q. unica: scho. 2. n. 3.) quibus iterum iterumque clarescit motivi utriusque primarii scilicet ac secundarii in caritatis actibus arcta conjunctio, in quam schola tota consentit.

Scot. in Report. Paris. dist. 27.

ARTICULUS VII.

Praxis mysticorum.

90. Id summa ipsa secutos scholasticos, omnes facile recognoscent, qui Thomisticam ac Scotisticam scholas, licet sibi adversantes, tamen concinere animadvertent. Id mystici: id in praxi docent pii omnes, quos inter Harphius: *Deus per gratiam suam in nobis habitans & vivens, tangit spiritum nostrum suo digito, idest suo spiritu, vicissitudinem amoris exigens, & dicens: amate amorem æternaliter nos amantem: qua voce*, inquit, *interiora universa amoris impetu commoventur, & omnes animæ vires respondere coguntur: abyssalem amemus amorem nos æternaliter amantem*: sic ex instituto totius scholæ etiam Scotisticæ, mystici duo illa motiva, primarium scilicet, & secundarium in unum conjungunt.

Harp. lib. 3. Theol. myst. p. 4. c. 28.

91. Præit Rusbrokius dicens: *Spiritus sanctus alta voce sine strepitu verborum vociferatur in nobis: ametis amorem æterno amantem:* ac paulo post: *nunquam conticescit, sed perpetuo sine cessatione clamat: solvite debitum vestrum; amate amorem vos ex omni æternitate amantem:* quibus sane verbis perfectissimam caritatem a sancto spiritu infusam adumbrantes, sic ei motivum secundarium Dei amantis adjungunt, ut in actum caritatis confluant; quæ priorum omnium est praxis.

De sept. grad. am. in 7. grad. cap. 14.

AR-

ARTICULUS VIII.

Quid præsul sentiat de secundariis objectivis rationibus caritatis.

92. Primum quidem illas suggillat ut meas; nec legere voluit annotatum ad marginem Scoti locum insignem, cui & alios tam perspicuos addidi: quod quidem non Scotus solus, sed etiam s. Thomas iisdem vocabulis; cæteri autem theologi nullo excepto, saltem æquivalentibus, & summa ipsa recognoscunt.

Resp. ad Summa, p. 16.

93. Addidit mutari speciem virtutis, adjuncto ad motivum specificum alio proprio motivo. Alibi: *quæcumque nova formalitas addita ut essentialis motivo specifico, ejus mutat speciem. Quare, si Meldensis motivo specifico caritatis, quæ est gloria Dei, addit motivum spei, quæ est beatitudo, sive adeptio boni ut secundum motivum essentiale sive inseparabile, mutat speciem caritatis mutando motivum ejus specificum, sive formale objectum.* Hæc ille: & illud assertum tribuit s. Thomæ, nullo sancti doctoris allato loco. Sed hic duo peccat: primum in eo quod assertum falsissimum est, si motivum istud secundarium subordinatumque sit: quod liquido constabit artes virtutesque sedulo percurrenti; nempe id perspicuum est, neque quisquam negat; sed auctor acutissimus nimia subtilitate se præpedit; nec me, sed s. Thomam, Scotum, totamque adeo scholam ea de re consentientem oppugnat. Alterum

Resp. ad Summa, p. 15. 41. 4. *Lett. à M. de Paris*, p. 30.

erratum est, quod essentiale, sive specificum confundit cum eo quod est inseparabile.

Rep. a la Acd. p. 27.

94. Itaque ad secundarias rationes doctorum auctoritate pertractus subdit, *secundum scholam nibil esse essentiale quam id quod est primum seu primarium*; secundaria autem motiva *accidentalia* esse, centies ingeminat: quasi vero si ad hæc minuta redigamur, inter illud essentiale primum & accidentalia, non sit admittendum medium, nempe proprium inseparabile, quod etiam sæpe essentiale dicitur, quale est homini loqui & alia. *Ergo præter primam rationem, sunt & secundariæ consequentes ex prima*, ut ex s. Thoma diximus: (n. 84.) has autem sive proprietates inseparabiles appellamus, sive rationes formales subordinatas, nihil ad praxim attinet. Res agendæ Christianis non his argutiis metiendæ sunt: quærendum quid Christus dixerit: an Dei benefici, ac beatifici rationem ab ejus perfectione summa separari voluerit? an hæc ad plenitudinem caritatis conjungi jusserit? hoc, inquam, quæri oportebat: non falsa dialectica commoveri, ac velut obstupefieri imperitos, scholam motiva in scripturis conjuncta non negantem neque separantem, sed ordinantem, adversus scripturam concitare nefas erat. Hæc notet vir disertus, & ingenio dicendique artibus fidens; ac tandem agnoscat, nos immerito reprehensos, quod utraque incentiva Dei perfectissimi, ac sese communicantis in praxi conjungamus: immo eamdem nostram ac principum scholæ, totiusque adeo theologici ordinis esse sententiam.

Lett. 4. a M. l'arch. de Paris.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De illa clausula: *nullo respectu ad nos*: ad propos. 17. & 18.

ARTICULUS PRIMUS.

Nostræ propositiones probantur ex concessis a D. Camer. Ejus sententia de natura unitiva amoris.

95. Prorsus D. Cameracensis abutitur definitione scholæ dicentis, caritatem *esse amorem Dei in se, nullo respectu ad nos*, dum ad extremum urget postremam illam clausulam. Sane verum est illud, *nullo respectu ad nos*, sensu quem nos diximus: (n. 4. prop. 17. & 18.) nam si absolute & ad strictos apices verum est, caritatis ad nos nullum esse respectum, non ergo illud verum est quod ex ipso auctore diximus: (n. 47. 48.) amoris naturam esse *essentialiter unitivam: amici ad amati unionem, essentialem esse tendentiam*: aut illud verum erit, dari *essentialem tendentiam* absque *ullo respectu*; quod apertam in terminis contradictionem implicat. Si ergo vere auctor asseruit vim illam unitivam, qua amor ipse constet, nec frustra allegavit Augustinum, Dionysium, doctorem Angelicum, hæc invictissime approbantes, possibile profecto non est, ut in eo affectu quo caritas in Deum tendit, etiam respectus ad nos ipsi conjungendos non sit necessarius: conjungi autem est frui: ergo in caritate respectus

Lett. d'un theol. de Louv. p. 53. 51. 55. Opusc. p. 27. Sup. n. 47. & seqq.

ad fruendum Deo ita est essentialiter necessarius, ut nulla ratione ab eo separari possit.

ARTICULUS II.

Aliud concessum de Deo benevolo & benefico.

96. Immo etiam illud negare non potuit D. Cameracensis, *quin Dei beneficia, quatenus Deum infinite beneficum demonstrant, menti objiciant unum ex ejus attributis, in quo sicut & in cæteris, caritas sibi complaceat, eoque delectetur.* Iterum, *si beneficentia divina in mysterio Christi spectatur ut unum ex attributis, quibus constat bonitas & perfectio absoluta, tum Christus & singula ejus mysteria fiunt objectum amoris complacentiæ, quæ vera caritas est.* Id ergo in confesso esse annotamus, benevolum illud atque beneficum inter caritatis objecta a nobis merito recensitum, ac frustra litigare auctorem de objecto caritatis *nullo respectu ad nos*, cum profecto ipsum benevolum, ac beneficum, utcumque sumatur, sine respectu ad nos, nec intelligi possit.

Resp. ad Summa, f. 13. 14. 10.

Ibid. f. 11.

ARTICULUS III.

Quo sensu beneficentia in absolutum vertat.

97. Id autem universim observamus, nos hic pro concesso & confesso sumere quidquid semel fundamenti loco assumsit auctor, licet postea variet, nec legitimas consecutiones admittat. Jam ergo quod addit; cum in Deo benefico complacere sibi caritatem

fate-

fatetur: *bonitatem Dei relativam tum in absolutam* verti, distinguimus; & quidem fatemur beneficum illud, sive, ut vocat auctor, *bonitatem relativam* in absolutam verti, eo sensu quem diximus: (n. 4. prop. 16. 17. 18. 19.) ita scilicet, ut absolutum illud sit tamen suo modo relativum, propter suum connotatum: sin autem intelligatur omni modo esse absolutum, negamus; nec ipse auctor nobis adversari possit: quare nec quod jactat in rigore tueri, objectum caritatis ab omni relatione ad nos esse præcisum.

Resp. ad Summa, p. 14.

ARTICULUS IV.

De divinis beneficiis, ut sunt utilia nobis.

98. Idem auctor subdit: quod *eo respectu caritas sive amor complacentiæ cunctis Dei beneficiis frequens delectatur, non propterea Dei beneficia, quatenus utilia nobis, sive relative ad nos, esse proprium, aut specificum saltem partiale caritatis objectum*. Sed nos ne id quidem volumus, nec partiale illud objectum admittimus: & illa motiva diligendi Dei, & quod sit per se maximus, & quod benevolus sive beneficus, subordinata, non coordinata esse docuimus: ut supra dictum est. (eodem num. 4. propositione 20. 25. 31.)

Ibid. p. 14.

99. Certe beneficia *quatenus utilia nobis* a divina gloria separari, mera ludificatio est; cum illud ipsum Deo gloriæ vertat, quod Deus nullius rei, ac nequidem gloriæ a nobis comparandæ indigus, idem tamen pro sua bonitate servis suis bene esse velit, utilia largiatur; verum lucrum, verum quæstum præstet, te-

stan-

stante apostolo: *mihi vivere Christus est*, *& mori lucrum*: &: *ut Christum lucrifaciam*: &: *vere quæstus magnus est pietas*, quæ vel maxime est caritas. Quamquam enim cum schola præcipua motiva a cæteris distinguimus, non tamen hæc utilia a vera caritate arcere possumus.

ARTICULUS V.

Loci ss. Augustini & Gregorii Nazianzeni.

De doct. ch. l. 1. 29.

100. Neque id sinit Augustinus, docens *Deum velle se diligi, non ut sibi aliquid, sed ut iis qui diligunt æternum præmium conferatur, hoc est ille quem diligunt*. Alio loco: *cui non propter suam, sed propter nostram salutem, utilitatemque servimus*. Deo autem hæc volenti consentire nos, nec ab ejus gloria nostram utilitatem separare par est.

Orat. 14.

Epist. 27.

101. Qua de re etiam audiendus Gregorius Nazianzenus, laudari Deum asserens *a cœlestibus potestatibus, non ut naturæ plenissimæ aliquid adhærescat boni suis laudibus, sed ne natura post Deum secunda* (angelica scilicet) *divinis beneficiis careat*: quæ causa sit *complectendi verbi & possidendi Dei, quod est bonum perpetuum & nostrum*. Ergo, uti prædiximus, Dei gloria nostra utilitate constat, neque ea incitamenta separari debent.

AR-

ARTICULUS VI.

Cassiani locus.

102. Amplectimur autem illud Cassiani, *mercenariam spei cupiditatem eam esse, in qua non tam bonitas largientis, quam præmium retributionis expetitur*. Ita ergo volumus divinis beneficiis attentam esse caritatem, *ut largientis bonitatem* vel maxime attendat: beneficia enim in nobis creatum aliquid sunt: bonitas largientis infinita & increata; quæ tamen a respectu ad beneficia nequidem mente & cogitatione separari possit.

Coll. II. c. 10.

ARTICULUS VII.

Locus sancti Thomæ solutus.

103. Quare frustra objicitur ille s. Thomæ locus, quo asserit nos quidem per beneficia disponi ad amandum: sed *posteaquam*, inquit, *jam amare incœpimus, non propter illa beneficia amamus amicum, sed propter ejus virtutem*. Quod quidem est certissimum: sed interim recordemur, inter virtutes recenseri benevolentiam, ac beneficentiam, propter quas ex s. Thoma amicum diligamus. Deus autem est amicissimus, & caritas ex eodem angelico doctore ipsa est amicitia: ergo virtutes Dei, ipsamque beneficentiam erga humanum genus per se & propter se diligimus.

Resp. ad Summa, p. 41. 2. 2. q. 27. art. 3.

Ibid q. 23. art. 1. & 2.

AR-

ARTICULUS VIII.

Quæ doctrina sit nugatoria: nostra, an auctoris.

Resp. ad Summa doct. p. 14.

104. At enim, inquit, scholæ doctrina esset *cassa & nugatoria*: bene intellecta, nego: quippe quæ & primaria & secundaria, sive minus præcipua & primis subordinata motiva distinguat; quod non est nugatorium, sed grave & serium, ad introspiciendam penitus veritatem & motivorum ordinem spectans. Quod autem caritas, secundum auctorem, & divinis beneficiis se oblectet, Deique benevoli ac benefici memor, horum tamen attributorum effecta non cogitet, & gloriam Dei a servorum Dei utilitate secernat, & illud scholæ *nullo respectu ad nos*, pessimo & nullo sensu ab ipsa beneficentia mordicus & in rigore sejungere satagat; id quidem revera & nugatorium, non scholæ, sed auctoris, qui rem gravem & seriam ad arguta & minuta, immo etiam falsa & absurda deducat.

ARTICULUS IX.

De motivo primario & secundario inter se comparatis: ad prop. 28. & seq.

105. De his motivis inter se comparatis, ex prædictis propositionibus nunc ista colligimus:

1. Deum ut in se optimum, ac beatissimum ita posse cogitari cogitatione abstractiva ac transitoria, absque eo quod actu, & expresse cogitetur de Deo ut benevolo ac benefico, ut tamen conceptus ille

pri-

primarius Dei in se optimi, Deum ut benevolum atque beneficum virtute comprehendat. (ex n. 4. prop. 28. & 29.)

II. Quod enim sit Deus benevolus ac beneficus, id quoque pertinere ad ejus excellentiam ac perfectionem infinitam: neque intelligi posse, ut oportet, Deum esse in se perfectissimum, nisi pariter sit perfectissime clemens, benevolus, atque beneficus: (ex prop. 10. 30.) unde sequitur.

III. Horum attributorum amorem omnino esse necessarium ad perfectionem ac plenitudinem caritatis in Deum. (ex ead. prop. 30.)

IV. Non posse autem amari Deum ut perfectissime benevolum & beneficum, nisi supposito quod sit in se infinite perfectus. (ex prop. 28.)

V. Quare divinæ bonitatis ut effusissime liberalis amore, divinæ excellentiæ in se consideratæ amorem includi. (ex iisd.)

VI. Nec si pluris valet Dei per se excellentis, quam Dei benefici atque effusissime liberalis intuitus, ideo esse consectaneum, ut pluris valeat quam utriusque complexio. (ex prop. 33.)

ARTICULUS X.

Locus Silvii.

106. Videndus hic est Silvius, qui facile confessus amorem Dei ut præcise excellentis in se, esse actum primarium caritatis, secundarium autem esse amorem Dei ut benefici & benevoli; addit, non propterea primum perfectiorem esse quam ambos simul

simul junctos; cujus rei rationem reddit his verbis: *etsi alicujus virtutis actus principalis sit dignior quam secundarius, non oportet tamen quod principalis solus sit dignior quam principalis & secundarius simul*. Quam sententiam, ut solet, ab Estio mutuatur, in 1. dist. 1. §. 4. idem docent etiam omnes auctores mystici quos vidimus: (n. 90. 91.) res ipsa loquitur, neque fieri potest quin eo magis ametur natura præstantissima, quo benignior est & benevolentior.

Silv. in 2. 2. q. 27. art. 1. in fin.

ARTICULUS XI.

An igitur hæc controversia in tenui versetur.

Resp. ad Summa, p. 13.14. Diss. p. 1.

107. Dices: non videtur auctor procul ab his abesse, cum & ultro fateatur Deum infinite beneficum esse caritatis objectum, bonitate relativa in absolutam versa, a quo nec nos abhorrere visi sumus; in tenui ergo nostra est concertatio. Utinam! ego vero id vel omni sanguine compararim, ut nobis ad nudas voces quæstio jam rediret. Sed si in hæc penitus consentiret auctor, non ita in rigore & ad extremos apices urgeret illud, *nullo respectu ad nos*: nec ita divinorum beneficiorum intuitum a caritatis actibus prohiberet, nec tanto studio beatitudinis votum, ac salutis desiderium amputaret; nec suppositiones impossibiles in absurdissima quæque cogeret: quæ nos postea exequemur: ejusque rei meminisse lectorem, & me teneri debitorem velim.

108. Nec sibi constat auctor, quippe qui & Deum beatificum velle videtur agnoscere per sese ut objectum caritatis, & tamen procul arcere beatitudinem,

sine

sine qua Deus beatificus nequidem cogitari potest. Unde fictus Lovaniensis perspicuis verbis; *Deum ut beneficum ab objecto formali caritatis excludit:* consequenter sane; cum, ab intuitu Dei ut beatifici excludere intuitum beatitudinis, ludicrum sit & absurdissimum. Quare nec audiendus auctor qui interdum ad veritatem accedere velle videatur. Atqui non convenit sensus, non verba ipsa congruunt: asseverat, negat; adstruit, destruit: nusquam errasse vult: pristinos, gravissimos firmat errores: inducit novos: theologiam universam quatit. Quæ partim probata sunt, partim in consequentibus probabuntur: sed prius præmittenda quædam, quibus & anteriora firmentur, & objectiones præsertim ex scholasticorum ipsiusque sancti Thomæ auctoritate repetitæ dissolvantur.

Lett. d'un theol. de Louv. 50.

QUÆSTIO VI.

De definitione caritatis ex sancto Augustino, deque fruitione ac de amore sui agitur ex concessis: ad prop. 36.

ARTICULUS PRIMUS.

Profertur definitio caritatis ex s. Augustino.

109. Definitionem caritatis a s. Augustino proditam, ab Angelico doctore repetitam, ab universa schola receptam, a me vero objectam, licet sibi adversissimam, nec auctor improbare est ausus: quæ tamen cum quæstionem solvat, mirum in modum ab

Summa doct. n. 8. p. 16.

eo

Resp. ad Summa, p. 32. 33. Aug. de doctr. ch. lib. 3. c. 10. 2. 2. q. 23. a. 2. sed cont. Rep. a la decl. p. 27. 28. Sup. q. 2. & 3.

eo deformatur, & in sensus alienissimos detorquetur. Est autem ejusmodi: *caritatem dico motum animi ad fruendum Deo propter se ipsum, & se & proximo propter Deum*. Nos autem de fruitione ex sanctis Thoma & Bonaventura multa diximus, sed nunc tota quæstio ad vivum persecanda.

ARTICULUS II.

Quid reponat auctor: prima responsio sanctis Augustino & Thomæ palam imponit.

Ibid. Resp. ad Summa, p. 32. 33.

110. Varia sane respondet præsul: ac primum *caritatem generice sumi pro ipsa spe: quam significationem*, inquit, *s. Thomas ratam habuerit*: at verba Augustini reclamant; caritatem enim definit eam, qua *Deo fruimur propter ipsum*. Hæc est autem vera & proprie dicta caritas, ut mox concedet auctor. Rursus, caritatem definit eam, quæ est ad Deum, & ad proximum; est autem hæc vera caritas. Denique caritatem definit eam, quæ cupiditati opponitur: hæc autem iterum atque iterum est ipsa caritas. S. vero Thomas cum s. Augustino hic vult definitam caritatem prout est a spe distincta: non ergo ea caritas comprehendit spem: neque ullus theologorum aliter intellexit: ac nequidem ipse auctor, ut sequentia docent.

2. 2. q. 31. 2.

ARTICULUS III.

De ipso frui, quid auctor sentiat.

Resp. ad Summa, p. 31.

111. *Scholastici reponunt*, inquit, *Meldensem antistitem fruitionis vocabulo plus justo sibi arrogare*:

frui,

frui, ut ait Augustinus, est amore inhærere alicui rei propter seipsam: en respectu ad nos jam rescissum, unde infert: *igitur frui nullum includit respectum ad nos, immo simpliciter & omnimode ad Deum nos refert*. Sic ipse illud frui refert ad unam caritatem, qui mox referebat ad spem. Nec mirum si variat, qui a recta via semel aberravit.

De doct. chr. lib. 1. cap. 4.

ARTICULUS IV.

Sancti Augustini expressa verba.

112. Si sancto Augustino non sibi auscultaret præsul, hæc audisset cum ipsa fruendi definitione connexa: *quibus fruendum, beatos nos faciunt; quibus utendum, ad beatitudinem ajuvamur*. Rursus: *quo perfrui beate vivere est*. Denique: *Deus vult se diligi, non ut sibi aliquid, sed ut iis qui diligunt æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt*. Cum his qui stabit illud Augustino attributum *nullo respectu ad nos?* Neque dicit Augustinus quod D. Archiepiscopus fingit, *ex fruitione oriri beatitudinem*: sed hanc esse ipsum *frui*. Neque idem docet Augustinus, *caritatis actu expeti fruitionem, non optata ea quæ ei annectitur beatitudine*: sic auctor pro suo acumine. Sed nescit Augustinus illas argutias: plane confitetur, *Deum amari velle* se, ut æternum præmium, nempe ipsum, assequamur: manifesto quidem respectu ad nos: sed qui postremo referatur in Deum. *Te ipsum enim*, inquit Augustinus, *non propter te debes diligere; sed propter Deum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est*. Mittamus ergo

Ibid. cap. 3.

Cap. 30.

Resp. ad Summa, p. 14.

Ibid.

1. de doct. chr. 22.

go vanas, & ab Augustino alienas responsiones: hoc pro concesso teneamus a præsule, Augustinum agnosci judicem; agnosci illam quam Augustinus edidit definitionem caritatis: qua definitione causa cadit. Schola autem omnis, ut & ipse confitetur, post Magistrum in 1. distinct. 1. Augustini definitionem admittit: ergo & Augustino, & tota schola judice, & suo arbitrio, præsul condemnatur.

ARTICULUS V.

De amore sui quid D. Cameracensis concesserit.

113. Nihil est quod magis veritatis intersit inter concessa memorari, quam istud sæpe a nobis assumtum ex Instructione pastorali D. Cameracensis: *fieri non posse uti nosmetipsos non semper diligamus*; neque item fieri posse *ut nos diligamus*, *quin nobis optemus supremum illud bonum*, *quod est unum necessarium*. En *semper* nosmetipsos diligimus, *semper* beati esse volumus: ergo in omni actu: nec Meldensem coargui, sed laudari oportebat, quod id asseruerit, ut supra dictum est. (n. 27. 28.)

Pref. sur l'Inst. past. n. 46. Sup. n. 27. 28. 29. 30. Inst. past. p. 24. 47.

114. Huc accedit, quod idem auctor agnoverit *amorem illum tam purum, quem unusquisque sibi semper debeat*: illius hæc verba sunt: ergo amor ille, quem *semper* nobis debemus, purus est: amore autem illo desinenter summum bonum nobis, ipso fatente auctore, non optare non possumus: ergo puri amoris est, summum bonum sibi optare, idque concedit auctor: cujus concessionis quanta sit vis, sequentia demonstrabunt.

Inst. past. p. 25.

AR-

ARTICULUS VI.

Amor sui, ut sibi bene sit, ad veram caritatem pertinet, teste Augustino.

115. Primus Augustinus prodeat disertissimis notissimisque verbis: *modus diligendi præcipiendus est homini, id est quomodo se diligat, ut prosit sibi: quin autem se diligat, & sibi bene velit, dubitare dementis est*. En modus diligendi se ut prosit sibi, sibique bene velit, per se ad caritatem spectat: ad caritatem spectat *diligere seipsum*, quæ pars est præcepti de proximo diligendo; cum scriptum sit: *diliges proximum sicut te ipsum*, ut passim Augustinus & omnes theologi docent.

1. de doct. chr. cap. 25.

ARTICULUS VII.

Consensus scholæ: s. Bonaventuræ locus.

116. Hinc tota schola agnoscit amorem nostri ac proximi, ut sumus res Dei, a vera & genuina caritate elici: qua caritate ut sibi quisque, ita etiam proximo cupit beatitudinem; eam scilicet quæ Deus est, quam deinde bona omnia consequantur.

117. Ea de re jam visus s. Bonaventuræ locus, quo docet, una & indivisa caritate diligi & Deum & proximum & seipsum, quia idem summum bonum volumus & Deo & proximo & nobis. Ac Deo quidem optamus ex caritate, non ut habeat, sed ut sit summum bonum: nobis autem & proximo, ut illud habeamus, quæ clara est & ineluctabilis demonstratio.

Sup. q. 1. art. 8. n. 70. in 3. dist. 27. art. 2. q. 2.

118. Absit autem ut tantam veritatem obscurari sinamus. Omnino enim Deum per sese diligunt, qui seipsos, qui proximos ut rem Dei diligunt: bona vera sibi & proximo volunt: nempe ut sint Deo conjunctissimi: Dei beati participes: *divinæ naturæ consortes*: per gratiam & gloriam Deiformes in æternum futuri: hæc præcipit, hæc agit, hæc elicit caritas: quin etiam illud conjungi, illud uniri ad naturam & essentiam amoris pertinere, & patres omnes & scholastici omnes, & ipse etiam D. Cameracensi fidus Lovaniensis agnoscunt, ut dictum est (num. 47. 48. & seq.).

II. Petr. I. 4.

119. Stet ergo decretum illud & patrum, & scholæ, & auctoris ipsius; fieri omnino non posse, quin omnes semper in omni actu seipsos diligant, sibique beatitudinem optent; quo uno certum est causam esse conclusam, & auctorem convictum esse manifesti erroris, qui toties dixerit, ab objecto caritatis secludi posse, immo vero oportere, studium beatitudinis: adeoque nec eam nobis, nec proximo ex caritate optandam; ut etiam sequentia magis declarabunt.

ARTICULUS VIII.

Auctor nihil aliud agit, quam ut ab ipsa quæstione oculos lectoris avertat, & vana congerat.

120. Ex his igitur patet, per auctoris concessa, rem esse confectam: quod ut prohibeat, & oculos ab ipsa summa quæstionis avertat, multa de spei natura, deque gratitudine profert: quæ nunc resolven-

venda sunt, & ad ipsum quæstionis caput semper oculi retorquendi..

QUÆSTIO VII.

De natura spei & gratitudinis, deque objectionibus inde repetitis.

ARTICULUS PRIMUS.

De differentia spei & caritatis.

121. Magnum aliquid sibi objicere videtur antistes: nempe hoc; si caritas, ita ut spes, frui desiderat, confundi virtutes illas, ac motiva virtutum; hoc enim assidue repetit & exprobrat nobis. Quem nodum tribus verbis s. Thomas secat: *Ad 3. dicendum, quod idem bonum est objectum caritatis & spei, sed caritas importat unionem ad illud bonum; spes autem distantiam quamdam ab eo: & inde est, quod caritas non respicit illud bonum ut arduum sicut spes. Quod enim jam unitum est, non habet rationem ardui.* En domino archiepiscopo tam operosa visa, atque omnibus paginis usque ad nauseam infarta difficultas, quam brevi & absoluta distinctione solvimus. Inest enim caritati, etiam in via, tanta conjungendi vis, ut nec in vita beata alia postuletur; dicente apostolo: *caritas nunquam excidit*; quod procul abest a spe. Unde non spes, sed caritas per se est justificans & uniens, & amicos nos faciens Deo, quo & ipsas virtutes, caritatem nempe, ac spem, & eorum motiva, & ipsam agendi in utra-

Resp. ad Summa; p. 15. 18. 19. 32. 40. 41. 42. 48. 52. &c. Oppos. p. 23.

Lett. 4. a M. de Paris.

2. 2. q. 23. art. 6. ad 3.

1. Cor. XIII. 8.

que rationem in immensum distare constat. Hæc ergo a nobis confundi D. Cameracensis exprobrat; nec intellecto doctore Angelico.

Vid. in lib. Gall. 5. ecrit, n. 12. pag. 108.

ARTICULUS II.

An caritas mercenaria æque ac spes.

Resp. ad Summa, p. 20. 33. In. 3. d. 26. art. 1. q. 1. ad 5.

122. Hinc etiam vanum patet esse quod sæpissime quæritur, caritatem a me æque mercenariam fieri ac spem. Et quidem sanctus Bonaventura negare videtur, expectationem æterni boni esse mercenariam, cum ratio mercenarii ab ipso reponatur in temporali mercede, non vero in æterna: quare nemini oportet crimini verti, quod spem neget mercenariam, modo consentanea loquatur & statuat. Sed quandoquidem pars scholæ maxima, ex ipso æternæ beatitudinis desiderio, vult spem quodammodo mercenariam sive sui commodi studiosam, caritatem autem non ita; id quoque ex sancti Thomæ allato principio resolvendum. Etsi enim caritatem quoque frui velle constitit, longe dissimili modo in fruitionem tendit ac spes. Præterquam quod enim spes in fruitionem tendit ut in objectum primarium, caritas vero eam secundario spectat: huc etiam accedit, quod caritas Deo fruatur, ut præsente conjuncto, unito, & amico; spes vero ut absente, necdum amico aut unito: quo fit ut caritas in sola Dei gloria, ut in fine sistat, eoque referat fruitionem suam, ut diximus: quod quidem si spes faceret, jam non esset spes, sed esset ipsa caritas.

AR-

ARTICULUS III.

Præsul in quod objicit incidit: at spem facit non mercenariam.

123. Jam vero videamus, annon ipse Præsul in incommodum incidat, quod objicit nobis. Certe spem Theologicam, ut ipse loqui amat, ab omni ratione *mercenaritatis* absolvit. Hanc enim *mercenaritatem* constituit in eo quod naturali ac deliberato amore prosequimur, qui est novus tuendi systematis modus in Instructione pastorali, & in Responsione ad Summam, & in ceteris libris ubique diffusus, ut notum est. Atqui spes æternam vitam non naturali illo, sed supernaturali amore prosequitur; non ergo mercenarie: nec spes est mercenaria. Quod est contra scholæ placitum a D. Cameracensi toties appellatum.

Resp. ad Summa, p. 11.

124. Verba auctoris hic diligenter observanda. *Tota fere*, inquit, *schola strictiorem caritatis sensum amplexa, ad virtutum distinctionem accuratiùs servandam, pernegat amorem spei, quo quis expetit fruitionem Dei, quatenus boni relative ad nos, esse omnino purum, gratuitum, & cujuscumque interesse proprii expertem. Ego vero non ita.* En ille perspicuis verbis a schola recedit, cujus me facinoris reum arguebat.

Resp. ad Summa, p. 11.

125. Pergit: *Ego vero non ita: nec enim interesse proprium, sive mercenaritatem in ullo alio positam volui, quam in deliberatis actibus, quibus naturali amore nos prosequimur. Unde mihi minime opus est objectionem solvere: hæc me nihil attinet,*

Ibid.

hoc est: non mihi opus est *solvere objectionem* a scholæ auctoritate repetitam: *hæc me nihil attinet*, quasi dicat: nihil me attinet quid schola senserit: hujus ego dogmata aliis quidem objicienda, non autem mihi sequenda proposui.

ARTICULUS IV.

De amore gratitudinis.

126. De amore vero caritatis, & gratitudinis a se mutuo distinguendis non ita solliciti sumus. Ultro tamen largimur Domino Archiepiscopo ea de re maxime laborare viso: si quis ita divinis beneficiis addictus videretur, ut de largitoris excellentia non satis cogitaret, Deoque inhæreret magis affectu quam effectu; id quidem ad gratitudinem referendum, non ad caritatem. Sin autem ad beneficia respicit, ut ipsum largitorem vel maxime spectet, & ab ejus excellentia ipsi beneficio, uti par est, pretium ponat, hunc vera affici caritate, nec ideo inferiore, quod utraque scilicet & Dei optimi, & ejusdem benevoli, ac benifici motiva conjungat, theologi docent. (ex. n. 4. prop. 33. item ex quæst. 5. art. 4. 5. 6. 7. & ex n. 105. 106.)

Resp. ad Summa, p. 17. 20. 31. &c.

ARTICULUS V.

Suarezii & aliorum loci.

127. Eam in rem & in Summa doctrinæ & alibi sæpe indicavimus Suarezii insignem locum, quem nunc integrum reddimus: *respondetur hunc* actum

Summa doctr. n. 8. p. 17. 5. ecrit. franc. ois, p. 103.

(*aman-*

(amandi Deum propter beneficia nobis collata) *regulariter esse imperatum a gratitudine ; tamen est elicitive a caritate :* en *a caritate*, idque *elicitive* ; quod sufficit : cætera nunc nihil moramur. Subdit : *cum Deus perfecte amatur propter beneficium, potius amatur, quia nos amat : hoc autem caritatis est & amicitiæ, neque actus hujus ratio objectiva est extra divinam bonitatem : nam amor quo Deus nos amat ipse Deus est, & summa quædam perfectio ejus : item ipse nos amat, quia bonus est. Unde quia amatur eo quod amat, amatur etiam quia bonus est* : quibus verbis illa, de gratitudine distinguenda a caritate, vana litigatio inciditur.

Suar. de fid. spe & car. tract. 3. disp. 1. sect. 2. n. 3. ad 2.

128. Attulimus etiam Scotum, ac mysticos, Rusbrokium scilicet, & Harphium eorum antesignanos, qui motivum adhibeant memoris animi erga Deum nos prius diligentem, quo se ipsos inflamment ad amandum Deum castissimo, ac perfectissimo amore, eo scilicet quo omnia viscera, omnes animæ vires percelluntur : neque quidquam inveni apud mysticos quosque sanctissimos & alios pios auctores, quo vehementius amor inardescat, ut est alibi dictum.

Sup. n. 90. 91. S. scrit. ab. 10. pag. 164.

ARTICULUS VI.

De spei imperfectione ex sancto Thoma auctoris objectio.

129. Quorsum ergo illud toties ab auctore allegatum sancti Thomæ scitum, spem esse *imperfectam*, quæ frui appetat ; si ipsum frui tam perfectum esse dicimus? non satis intellexit præsul in ipsum frui di-

Resp. ad Summa, p. 52. 53. 65. &c. 2. 2. q. 17. 8.

ver-

versissime tendere spem & caritatem: illam, ut in aliquid absens & adeptu arduum, quod est imperfectum: hanc, ut in aliquid præsens, atque conjunctum, in quo perfectio est, ut statim diximus. (num. 117.)

ARTICULUS VII.

Quomodo ex sancto Thoma caritas non vult, ut sibi ex Deo proveniat quidquam.

130. Nec pluris est illud ex eodem sancto doctore repetitum: hoc quidem interesse inter spem & caritatem, quod caritas non ut spes *optet ut aliquid sibi* ex Deo proveniat: quod auctor nisi universim intelligat, nihil ei s. Thomas proficit. Quid ergo: non optat caritas ut id sibi proveniat ex Deo, quod est Deo ipsi esse conjunctum? Non est ergo natura & essentia amoris ut uniat: a desiderio unionis amor abstrahere & abstinere potest? Apage insaniam. Hæc dicant homines male feriati, qui nihil pensi habent nisi aucupari voces: non dicat archiepiscopus tanto loco positus: agnoscat caritati nihil esse melius aut optabilius, quam ut Deo conjuncta per gratiam & gloriam, vel sit beatissima, vel esse incipiat. Hæc de spei natura dicta sint quo ad errores auctoris revincendos certam viam muniamus.

Resp. ad Summa, p. 14. p. 2. q. 23. art. 4.

ARTICULUS VIII.

Auctoris errores detecti ex antedictis.

131. Immo res ipsa confecta est. Duo enim auctor asseruit. Alterum mox, quod ipsa caritas ita absit

absit ab eo, ut aliquid ex Deo sibi provenire optet; ut nec illud optet sibi a Deo provenire, quod sit Deo conjunctissima (art. præcedente), quod est erroneum, & ab ipsa natura amoris alienum: alterum, quod amare seipsum, & proximum ut rem Dei, atque adeo sibi & proximo optare beatitudinem, non sit caritatis; quod S. Augustino totique scholæ, & ipsi præcepto proximi diligendi palam repugnat: redit etiam præclarum s. Bonaventuræ argumentum (sup. n. 70. 71. 117.).

QUÆSTIO VIII.

De falso imputatis.

ARTICULUS PRIMUS.

Auctor involvit quæstionem multis falso imputatis.

132. Id quoque pertinet ad involvendum quæstionis statum, & ad lectoris oculos ab illo distrahendos, quod auctor mihi tot ac tanta imputet contra verborum tenorem, quæ nunc ne lectori fucum faciant, quam paucissimis potero commemoranda sunt.

ARTICULUS II.

Primum falso imputatum.

133. Domini Cameracensis hæc verba sunt: *Meldensis dixerat hanc suam de beatitudinis motivo inseparabili sententiam ab omni schola usurpari:* re-

Resp. ad Summa, p. 6.

cte:

Summa doctr. n. 8. p. 13. 14. 15. &c.

cte: & id etiamnum dicit: *nunc vero contrarium ab omni fere schola traditum fatetur*. Non ita: sane sum confessus, ab objecto specifico caritatis abstrahi posse amorem beatitudinis actu expresso & explicito volitæ; non autem ita, quin virtute & impulsu hujus motivi voluntas agatur, nec ita ut a beatitudinis secundario quoque motivo persequendæ studio temperari possit. Quæ quam inter se, & cum universa schola consentiant, docent (n. 4. prop. 7. & 8. una cum antedictis q. 2. præsertim n. 33.) Non ergo Meldensis secum *ipse pugnat invitus*, quod Cameracensis objicit: sed Meldensis sententiam perspicuis verbis expositam, ipse Cameracensis intellectam noluit.

ARTICUSUS III.

Aliud imputatum rursus oculos a statu quæstionis avertit.

Resp. ad Summa, p. 6.

Instr. sur les etats d'or. liv. 3. n. 8. Ibid.

Ibid. liv. x. n 20. p. 464. 465. add. 12. 2. pag. 476. 477. &c. n. 3. 5. 7. p. 487. 490 499.

134. *Pollicitus est* (Meldensis) *se confutaturum scholæ sententiam libro ea de re edito*. Ita Cameracensis: falso. Pollicitus est Meldensis, se ita explicaturum scholæ opiniones varias, ut tota disputatio non tam de re, quam de nomine esse videatur. Item est pollicitus, fore ut demonstraret totam illam quæstionem nihil attinere ad rem de qua agimus. Item est pollicitus, se demonstraturum nihil attinere ad rem, an ipsa æterna beatitudo primario, an secundario, modo tamen necessario motivo ab ipsa caritate quæratur. Hæc quidem Meldensis est pollicitus; eadem nunc iterum pollicetur, atque ex parte præstitit

(sup.

(sup. q. 4. art. 3. & 4.) Nec quod Cameracensis improperat, *de eo difficultatis cardine scripturum se pollicitus mox mutavit sententiam*. Quid est mox mutavit? quo argumento probat? adeo autem absum ut mox mutarim sententiam, ut totus in eo sim ut quamprimum rem exequar: sed distuli tantisper. Utinam non aliis Domini Cameracensis opera occupatus!

Resp. ad Summa, p. 51.

ARTICULUS IV.

Aliud imputatum: de beatitudine ut solo caritatis motivo.

135. Si Domino Cameracensi credimus, *is ego sum qui totam interiorem vitam & ipsam caritatem ad beatitudinis in Deo amorem reductam velim*. Rursus: *Dominus Meldensis episcopus caritatis nomine nihil intelligebat præter amorem beatitudinis in Deo*. Addit: *indesinenter collimat idem Episcopus, ut totam amandi Dei rationem, amabilitatem totam ponat in quærenda in Deo beatitudine, & ut amandi ratio una in beatitudinem resolvatur*. Quo oculo nostra legerit qui hæc objicit & assidue inculcat, advertat lector diligens. Neque enim præcipuum, nedum totum motivum caritatis in quærenda beatitudine collocavi, sed tantum secundarium, nec in ei amabilitatem ipsam universim, sed specialem & quamdam cum Scoto reposui; quod & Summa doctrinæ (n. 8.) & nostræ (num. 4.) propositiones 36. & jam inde ab initio in Instructione nostra de Statibus orationis loci (num. 134.) allegati probant.

Resp. ad Summa, p. 8, p. 16.

p. 15. 26. 54.

AR-

ARTICULUS V.

Aliud imputatum de objecto secundario.

Resp. ad Summa, p. 19. 40.

136. Quod autem secundarium illud suggillat ut meum, nec legere voluit annotatum ad latus Scoti locum, supra expositum est (q. 4. tota), ubi id quoque demonstratum est, non id a solo Scoto, sed etiam a sancto Thoma & ab omnibus theologis, vel istis vocabulis, vel Summa ipsa recognitum.

ARTICULUS VI.

De incentivi vocabulo respectu beatitudinis : loci Ambrosii.

Resp. ad Summa, p. 17.

137. Urget: a Meldensi *incentiva*, *amandi illecebras*, *fomitem inextinctum agnosci: quorsum ista? quidni motivum?* quasi ego motivi nomen reformidaverim, & incentivi maluerim? ego vero non sum tam acutus ut ista secernam: simpliciter dico motivum quod moveat, illicium quod illiciat, incentivum quod incendat, incitamentum quod incitet: quæ voces sint ejusdem virtutis. Motivi vocabulo, quoties in communi nostra Declaratione subscripsi? cæterum incentivi vocem magis hæsisse memoriæ fateor, quod latinis patribus sit familiarior. Sic Ambrosium dixisse noveram: *summum virtuti incentivum reposuit Deus futuræ beatitudinis.* Iterum: *Dominus noster Jesus, regni cœlestis gloriam, perpetuæ quietis gratiam, vitæ, & beatitudinis, ad virtutis humanæ incentiva proposuit.* En beatitudo incentivum, id summum,

Ambr. in Ps 8. t. n. 1. & 13.

quod

quod in unum cum rei honestate Deique excellentia coalescat.

ARTICULUS VII.

Aliud imputatum de contritionis actu.

138. Jam pius lector animadvertat velim, quam illud invidiose tribuatur nobis: *cave ne imposterum ullum contritionis actum elicias, nisi te ipsum beandi proposito; quo omisso homo sibi illuderet*. Subdit: *contritio quantumvis flagrans, ex sola Dei pulcritudine, & perfectione infinita, gratitudini Dei beneficiis se se delectanti derogaret. His argutiis, quæ ipso usu & in praxi nusquam valent, Christum ipsum beneficiorum omnium fontem abjiceres.*

Resp. ad Summa, p. 10.

139. Quam procul a nobis absit illud, *cave*, nobis tam acerbe imputatum, antecedentia ostendunt. Quis enim ex nobis dixit umquam: *cave, ne imposterum ullum actum contritionis edas, nisi te ipsum beandi proposito?* qui verborum tenor omne aliud motivum excluderet. Nos autem pro primario motivo caritatis, adeoque contritionis semper habuisse summam Dei excellentiam, toties diximus, ut lectori tædio esse vereamur.

140. Neque item dicimus istud: *Contritio flagrans ex sola Dei pulcritudine, & perfectione infinita, benefico Deo & Christo derogat:* numquam enim dubitavimus quin sola Dei perfectio abstractive cogitari possit, nec eo minus valere rationem caritatis ultro confitemur. Si quis autem negaverit in amore Dei perfecti, & excellentis virtute contineri amorem

Dei

Dei ut benevoli, benefici, denique servatoris, & in eum propendere per se se omnem animam christianam, eum a scripturis, a patribus, a sana theologia abhorrere dicimus.

ARTICULUS VIII.

Doctrina concilii Tridentini de incipiente amore domino Cameracensi adversatur.

Sess. VI. *cap.* 6. 141. Rogatum autem volumus D. Cameracensem: quid sentiat de illo decreto concilii Tridentini, quo fide ac spe positis, eo etiam ante justificationem assurgi oportere decernit, *ut* fideles *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*. An hæc verba concilii ad veræ, genuinæque dilectionis initium pertinere præsul negat, spretis academiarum Belgii Theologis? Sin autem non audeat aspernari tantos viros, tantumque consensum, fateatur necesse est beneficum illud, ac profluum, motivo caritatis contineri.

142. Quid ergo respondebit, si illud vicissim objicimur: *cave*, ne Dei excellentia ejus beneficentiam contineri putes: cave, ne contritionis actum editurus, Deum benevolum, beneficumque cogites, eoque te moveri sinas; sic enim perfectæ illi contritioni derogares. Cave, dilectionem illam Dei tamquam omnis justitiæ fontis, ex decreto Tridentino, in contritionis actum inseras & involvas: quæ nos non invidiose, sed vere & serio admonemus.

AR-

ARTICULUS IX.

De formula consueta contritionis.

143. Non ergo, ut objicitur, *discedimus ab ea contritionis forma, quam a parentibus edocti sumus.* Ea enim forma in omnibus catechismis legitur, ut peccatum detestemur, *eo quod Deo optimo, sive infinite bono* displiceat. Etsi autem *illud optimum & infinite bonum*, summam Dei excellentiam perfectionemque designat, ea tamen voce, vel explicite, vel virtute complectimur, beneficentissimum, beatificum, ac misericordem Deum: & cum Davide dicimus, totoque affectu centies iteramus: *Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus:* neque umquam penitus a beatitudinis studio temperamus, ut dictum est.

Resp. ad Summa, p. 10.

Ps. CV.

ARTICULUS X.

Aliud de catechismo Romano falso imputatum.

144. De catechismo Romano nobis objecto idem dicimus: nempe ejus qua sola moveamur *bonitatis, virtutisque divinæ* nomine, comprehendi simul & illud excellens in se, & illud in nos pronum, eo ordine ac ritu, quem sæpe diximus. Rogamus enim D. Cameracensem, an negare audeat benevolentiam ac beneficentiam Dei, inter ejus *virtutes*, ac perfectiones esse numerandas? ergo bonitatem Dei, virtutemque spectantes, eo quoque nomine beneficentiam complectuntur. Alibi autem ostendimus sanum intellectum

Resp. ad Summa, p. 17.

Catech. Conc. Trid. in orat. dom.

Pref. sur l'Inst. past.

sect. 7. n. 75. &c. p xcii.&suiv.

ejusdem catechismi ab auctore perversum: Theresiam, Salesium, reliquos frustra appellatos, oppositæ sententiæ favere pernegamus: neminem esse asserimus, qui non pœnitentes ad contritionis actum, ex motivo benefici & servatoris Dei, inflammandos putet.

ARTICULUS XI.

Alia imposita nobis per apertam calumniam.

Resp. ad Summa, p. 19. 25. 45.

Ibid. p. 41. 53.

145. Neque prætermittendum illud mihi splendide impositum: *Paulo, ac Moysi, aliisque piis animabus per suppositiones illas impossibiles, pias ineptias, pios excessus, pia deliria, inanes argutias*; quodque gravissimum, *inordinatos affectus* a me fuisse attributos. Quibus responsum est in tractatu qui inscribitur: *Mystici in tuto*, n. 193.

146. Hæc igitur sunt, quæ mihi per calumniam imputata: his autem liquet, me a schola non nisi impositis manifeste falsis divelli potuisse; totumque illud quod a schola discedere accusor, non nisi distrahendis animis a statu quæstionis, inventum fuisse.

QUÆSTIO IX.

De caritate, ut est amor mutuus.

ARTICULUS PRIMUS.

De amore Dei ut amici.

147. Caritatem esse amicitiam, omnes consentiunt, attestante Christo: *vos amici mei istis*: & ite-

iterum: *dico autem vobis amicis meis*: & iterum de Abraham: *& amicus Dei appellatus est*: & toto vetere, novoque Testamento passim: unde etiam amor caritatis vocatur proprie amor amicitiæ, quo quippe Deus amatur ut amicus; in quo mutuum illud requiritur. Quod sponsa cecinit: *dilectus meus mihi, & ego illi*: & illud: *ego dilecto meo, & ad me conversio ejus*. Quod etiam Christus præcepit his verbis: *manete in me, & ego in vobis*: centies inculcatis. Amicus enim est amico amicus, nec sine respectu dicitur: ergo amor caritatis non est absolute & abrupte seclusus a respectu ad nos: sed illud restringendum ad primarium objectum quod est specificum; simul tamen relicto, saltem tamquam proprio, eoque inseparabili amore relativo, ut sæpe dictum est.

Joan. XV. 4.

148. Radix autem hujus rei est, quod amor natura sua est unitivus: immo vero est ipsa animorum conjunctio: neque quis amare potest, nisi eum quem sibi traditum, cui se traditum velit: unde ipsa caritas ab Apostolo vocatur *vinculum perfectionis*, uniendo Deo & homini aptum, cum conscientia amoris mutui.

Col. III. 14.

149. Id a præsule semper dissimulatum esse gravissimum est, etsi sæpe a nobis objectum, jam inde ab Instructione de Statibus orationis; adducto in testem post omnes theologos sancto etiam Francisco Salesio, quo vel maxime adversarii gloriantur.

Liv. 1. n. 18. p. 100. Am. de Dieu liv. 2. ch. 22.

ARTICULUS II.

D. Cameracensis de Francisco Salesio cavillationes.

Inst. past. de M. le Paris, p. 40. Am. de Dieu liv. 10. ch. 10.

4. Lett. a M. de Paris, p. 44.

150. Miror autem post allatum ab illustrissimo archiepiscopo Parisiensi ejusdem sancti viri luculentissimam auctoritatem, D. Cameracensem nihil aliud quam eludere voluisse: nempe sic interpretatur, ut illa convenientia, sine qua Deum pluris æstimare tantum, non etiam amare possemus, beato Salesio nihil aliud esse *quam convenientiam inter objectum & facultatem*, quod est aperte falsum. Primum enim nec ipsa existimatio potest esse sine convenientia inter objectum & facultatem, quippe quæ cognitionem tantæ excellentiæ, adeoque aliquam proportionem intellectualem requirat. Deinde in eo vel maxime reponit Salesius proportionem illam, quod amor caritatis sit mutuus: quæ ratio aliquid exigit majus quam proportionem & convenientiam objecti & facultatis.

4. Lett. p. 40. Ent. 2. Inst. sur les etats d'or. liv. 9. n. 1. p. 111.

151. Quod autem ex Francisco Salesio affert, a Deo communicatam beatitudinem non esse motivum diligendi, *ut Deus nec minus amatus, nec minus esset amabilis, excluso paradiso*, tanta perspicuitate a nobis expositum est, ut nullus supersit dubitandi locus; & tamen addentur quædam necessaria, ubi de suppositionibus impossibilibus agendum erit.

AR-

ARTICULUS III.

Idem me testem afferens, objectionem meam pro solutione sumit.

152. At, quod idem præsul in eadem epistola ad Dominum Parisiensem me quoque suæ sententiæ testem adducit, pace præsulis dixerim, objectionem pro responso accipit. Toto enim illo libri mei VIII. loco, nihil aliud a me agitur, quam ut objecta proponam, quæ deinde sequentibus paginis dissolvantur. Sic enim incipio: *dicent*, &c. quod est objicientis, nondum decernentis, aut concludentis. Quod addo: *videtur sanctus a caritate excludere desiderium possidendi Dei*: non magis est meum, quam illud sancti Thomæ toties repetitum: *videtur quod non*. Itaque illud, quod mihi a D. Cameracensi tribuitur, nihil aliud est quam ipsissima objectio, quam totis decem, eoque amplius paginis confutandam aggredior: quæ confutatio sic incipit: *verum si quid bonæ fidei superesset, ne illæ quidem difficultates fierent*. Sunt ergo difficultates, quas mala fide factas conqueror: sunt objectiones quas aversor; his verbis: *portenti loco esset, si quis diceret desiderium videndi Dei, & capessendæ salutis, non esse puri amoris actum*. Quare quod præsul addit, concessisse Meldensem id quo *nihil est contra illum luculentius*, objectio est pro concessione accepta: non quidem mala fide, credo; sed pessimo animi adversissima quæque cogitantis exemplo.

Liv. 8. n. 3. pag. 276. 277.

Ibid. n. 4. p. 277.

Inst. sur les etats, n. 5. p. 280.

4. Lett. p. 50.

153. Quocirca abstrahendo hic a quæstione de motivis

civis alibi pertractata, pro certo relinquitur, amorem Dei ut amici, & esse caritatis, & eum necessario, manifestoque respectu ad nos esse conjunctum: quod erat demonstrandum.

ARTICULUS IV.

De amore sponsæ erga sponsum.

154. Nobilissimum, ac pulcherrimum amicitiæ genus est illud sponsæ, quæ etiam amica castissima dicitur, ad sponsum candidiorem liliis, & omni puritate puriorem. Quo loco, si pro certo est amorem caritatis esse prorsus sine ullo respectu ad nos; nec amor sponsi ut sponsus est, erit caritatis. Nec erit illud caritatis: *ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: nec illud: *tenui illum, nec dimittam*: ac nequidem illud tam caste, quam confidenter editum: *osculetur me osculo oris sui*: quæ si ab amore caritatis arcentur, tota sacri Cantici languescit, ac frigescit oratio; nec amorem sed spem sponsus & sponsa canerent; quod est absurdissimum & ineruditissimum.

QUÆSTIO X.

De sancto Bernardo: ad n. 4. prop. 23.

ARTICULUS UNICUS.

Occasione amoris sponsæ erga sponsum, de beato Bernardo quæritur.

155. Beatus Bernardus is est, qui sponsæ rationem in ipso amore vel maxime collocavit: si, inquit,

quit, *perfecte diligit*, *nupsit*: perfecte autem diligit, quæ & se diligi sensit: *diligens*, inquit, *sicut dilecta est*. Et illi quidem suspectum quodammodo est filii ad hereditatem spectantis nomen: ceterum nec sponsi appellatio minus relativa est quam parentis: sed sponsi ratio designat clarius totam sponsæ possessionem in ipso sponso positam: quo respectu amor sponsi potior esse videtur quam parentis, licet ambo idem sint; eo quod in sponsi nomine ipsa amatæ personæ fruitio sit clarior.

Cant. 83. n. 1. ibid. n. 5.

156. Sane auctor Bernardo multum utitur: nec tamen unquam advertit illud, duas caussas diligendi Dei a sancto esse positas: *primam*, *quia nihil honestius*: *alteram*, *quia nihil fructuosius*: quas quidem duas esse asserit caussas, cur Deus *propter se* diligatur: ut ipsum, *propter se diligi*, in illo fructu, in illo commodo nostro clare comprehendatur. Nec mirum: cum illud a Deo requisitum, nihil aliud quam Deus ipse sit: *præmium*, inquit, *ipse qui diligitur*. Quæ nos (num. 4. in prop. nostra 23.) qua perspicuitate potuimus, exsecuti sumus.

De dil. Deo cap. 1. n. 1.

Ibid. ca. 7.

157. Quin etiam Bernardus quærens, quo *merito suo* Deus diligatur, nullo loco memorat excellentiam illam ab omni respectu ad nos absolutam. *Sed quo merito nostro*: sic intelligit: *multum meruit de nobis qui & immeritis dedit seipsum nobis*. Ac paulo post, *si Dei meritum quæritur cum ipsum diligendi caussa quæritur*, *illud est præcipuum*, *quia ipse prior dilexit nos*: perspicua relatione ad eos quos dilexit.

Ibid. 1. n. 1.

158. Jam de commodo nostro dicturus hæc subdit: *habet præmium*, *sed id quod amatur*: ut etiam Deus

Cap. 7. n. 17.

in ipsa commodi nostri ratione ideo in se dilectus intelligatur, quia nullum aliud præmium nostrum, quam ipse est.

Ibid. 159. Unde etiam illud: *non enim sine præmio diligitur Deus, & si absque præmii intuitu diligendus:* perspicue intelligitur de illo præmio, quod extra Deum quæreretur. Subdit: *vacua quippe caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe non quærit quæ sua sunt.* Cur autem non quærit? *quia habet*, quia ipso amore jam possidet; *nec quærit quæ sua sunt, quia non desunt.*

Ibid.

In Cant. 18. n. 3.

In Cant. 83. n. 4. 160. Cetera jam clara sunt: *amor ipse sibi fructus: sibi præmium: amat ut amet:* quippe qui in amore suo ipsum amatum complectatur totum, nec *a spe vires* sumit omnes, ut sæpe diximus: nullas, hæreticum & concilio Tridentino palam contrarium.

161. Quod ergo Bernardus addit ad illud Davidis: *Confitemini Domino quoniam bonus: confitetur quidem quia fortasse bonus est sibi, non quia bonus est in se:* conciliandum est cum eo quod vidimus: Deum diligi *propter se ipsum* etiam ex nostro commodo, *quia nihil fructuosius:* nec immerito tamen vituperatur ille qui *Deum sibi bonum* tantum cogitat, quique nihil *diligit nisi suum:* itaque Deus bonus nobis, & bono & malo sensu sumi potest. Qui vult Deum sibi bonum ut det tantum extranea a Deo; malus est: amor autem ex Bernardo semper est bonus; cum ipse ut præmium diligitur Deus.

Epist. 11. & de dil. Deo cap. 12. n. 34. De Deo dil. 1. 1.

Ibid. cap. 8. n. 22. 162. Unde illud exsistit præclare ab eodem sancto ibidem pronuntiatum: *ipse* (Christus) *factus est ut amaretur: ipse speratur amandus felicius, ne in*

va-

vacuum sit amatus. En *in vacuum amatus nisi speraretur amandus felicius*. Unde sequitur: *nec habet tamen quidquam* (Deus) *se ipso melius: se dedit in meritum, se servat in præmium*. Ac paulo post: *bonus es, Dominè, animæ quærenti te, quid ergo invenienti?* ergo illa anima optimo sensu vult Deum bonum esse sibi: quod *quædam anima* perverse & inordinate vult: ea scilicet quæ *solum diligit suum*, & relicto communi bono, propria, id est creata & angusta bona, sibi a Deo dari petit. Atque hæc summa ipsa alibi explicata, nunc in pauciora constringimus, ut clare intelligatur veram & genuinam caritatem, quæ Deum propter ipsum diligat, etiam ad relativa procedere, eo scilicet modo quo diximus.

Pref. n. 100. p. cxxix.

QUÆSTIO XI.

De amore quarti & quinti gradus: primi & secundi auctoris errores.

ARTICULUS PRIMUS.

Utriusque amoris definitio ex auctore.

163. Jam Schola penitus explicata, falso imputatis ordine confutatis, nobis devenit res ad jugulum caussæ, & ad duos amores, quarti nimirum & quinti gradus, quibus totus de doctrina sanctorum liber nititur. Amor autem quarti gradus, est amor caritatis sive *justificans*: amor verò quinti gradus, est amor perficiens sive purus & perfecta caritas.

Max. des SS. p. 4. Ibid. p. 10. 15.

164. His positis auctoris definitionibus, prima no-

nostra conclusio est: *amor justificans est ille, quem Schola definivit amorem Deo ut in se est adhærescentem, nullo respectu ad nos*: quoad illam specificam amandi rationem, ut diximus. Res per se clara, & ex dictis probata, ipsaque auctoris confessione concessa.

165. Secunda conclusio: Amor ille *purus est atque gratuitus*: ex terminis constat, cum sit, ut vidimus, pura Dei bonitate in se considerata fultus, atque ea ratione a spe distinctus; unde:

166. Tertia conclusio: *Nihil illo amore superius invenitur in schola*: quippe cum in illo consistat pura & perfecta caritas: ex quo sequitur:

167. Quarta conclusio: *Amor ergo quinti gradus, quem purum, perfectumque auctor vocat, extra limites scholæ est, nullaque theologorum auctoritate nititur.*

168. Quod autem nunc auctor addit, in eo esse quinti gradus vim, ut amorem sui naturalem ac deliberatum excludat, postea considerabimus: interim annotamus nullum adductum, nec adduci potuisse scholasticum auctorem, qui in ea exclusione amoris naturalis, ac deliberati, vim amoris puri ac perfecti collocaret. Ergo hæc sententia a scholæ placitis penitus eliminanda est.

ARTICULUS II.

Dicta auctoris.

169. De amore illo quarti gradus, sive justificante hæc præsulis dicta sunt: primum: *is amor Deum*

Max. des SS. p. 6.

quæ-

quærit propter ipsum, eumque omni rei, nulla exceptione, anteponit: quo affectu in genere amoris nihil est sublimius.

170. Alterum dictum: *tunc* (in eodem amoris gradu) *anima amat Deum & propter ipsum & propter se: sed ita ut gloriam Dei præcipue diligat, neque in eo propriam felicitatem quærat, nisi ut est medium, quod refert, & subordinat fini ultimo qui est Dei gloria*. Quo nihil sublimius schola umquam agnovit: ergo quod supra est, nempe amor quinti gradus, iterum atque iterum est saltem supervacaneus, totique scholæ incognitus. Jam ergo demonstramus quam sit erroneus.

Max. des SS. p. 8. 9.

ARTICULUS III.

Primus auctoris error.

171. Est in Summa doctrinæ hujus erroris demonstratio, quam nunc in pauca contrahimus. Id habet quartus gradus D. Cameracensis in libro de doctrina sanctorum, *ut in eo Deus quæratur propter ipsum, omnique rei anteponatur, exceptione nulla: quin etiam in eo gloria Dei præcipue diligatur, ibique propria beatitudo non nisi ut medium ad hunc ultimum finem, hoc est ad Dei gloriam relatum, eique subordinatum requiratur:* (n. 169. 170.) atqui quintus gradus, qui amori puro tribuitur, nihil potest habere sublimius, nisi huic addas abdicationem propriæ beatitudinis, etiam ut refertur ad Deum, a quo nunc D. Cameracensis abhorret: ergo amor quinti gradus non modo est evanidus & nullus, verum

Summa doctr. n. 9. p. 19.

rum etiam malus, perversus, erroneus. Hoc nostrum erat argumentum in Summa doctrinæ: quam autem clarum sit, D. Cameracensis prodet responsio.

ARTICULUS IV.

D. Cameracensis responsio, & secundus error.

Resp. ad Summa doctr. pag. 48. 49.

172. Sic autem illa responsio se habet: *finem ultimum appeti vel habitu & implicite, vel actu & formaliter. Ita*, inquit, *D. Thomas*. Subdit: *in quarto gradu subordinatio ad Dei gloriam plerumque fit habitu, confuse, & implicite*. Ex quo concludit: *sic duobus verbis doctoris Angelici, actu & habitu, solvitur objectio.*

ARTICULUS V.

Præsul imponit s. Thomæ.

1. 2. q. 88. a. 1. resp. ad 2. Resp. ad Summa, p. 50.

173. Miror his duobus verbis intelligi objectionem solutam; sanctus enim Thomas illud *referri habitu non actu* tribuit peccanti, *venialiter*, quod & auctor ipse recognoscit. Atqui absurdum est & erroneum, nihil plus competere justo, quam ut plerumque agat eo modo quo peccatum veniale committitur; sic enim inducitur error Lutheranus a sancta Synodo Tridentina proscriptus his verbis: *si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, anathema sit.*

Sess. VI. can. 25.

Resp. ad Summa, p. 50.

174. Quin etiam auctor id addidit: *habitualem illam relationem occurrere etiam in actibus justorum, quibus peccant venialiter. Vide*, inquit, *s. Tho-*

s. Thomam. Clarius: *ipsos actus quibus quis venialiter peccat habitu Deo esse subditos & subordinatos fini ultimo*: quod est plane inauditum & erroneum. Non enim ipsum actum peccati venialis, sed peccantem tantum habitu esse Deo subditum, s. Thomas docet. Peccata enim venialia *quæ habent inordinationem circa ea quæ sunt ad finem*, secundum sanctum doctorem, *conservant* quidem *ordinem ad ultimum finem* in subjecto & *in actu humano* indefinite sumto; sed non in illo actu in quo est inordinatio. Si enim ipse actus in quo est inordinatio & peccatum, esset habitu saltem subordinatus ultimo fini, esset quoque per se referibilis in Deum, posset que actu relatus in Deum, fieri meritorius; eo modo quo actus indifferentes, puta comestio, & alii hujusmodi relati ad Deum, fiunt meritorii: quod quidem de actu peccati venialis dicere, est absurdissimum & erroneum. Unde aperte repugnat rationi peccati actualis, ut sit ipso habitu Deo subordinatum. Non enim est ullo modo, ac ne habitu quidem Deo subordinatum, nisi forte ut judici & ultori, id quod est per se malum atque peccatum. Falsa est etiam auctoris regula, & in Responsione ad Summam & ubique inculcata: *quod Deo non est habitu subordinatum esse mortale peccatum*. Si enim illud omne quod non est referibile in Deum esset mortale peccatum, nullum esset veniale peccatum, ut vidimus; non enim est referibile ad Deum: alioquin non esset per se & essentia sua malum. Sic auctor exaggerat difficultatem, non solvit.

p. 62.

1. 2. q. 88. a. & ad 2.

Ibid. p. 63.

175. Quare aliam viam ineamus oportet, certumque

que

que esse debet viros sanctos piosque, plerumque agere ex motivo caritatis; ergo plerumque subordinare Dei gloriæ suam beatitudinem, nec tantum habitu, sed etiam actu aut saltem virtualiter, quod actui æquipollet. Id enim ex natura est justitiæ christianæ; quo nisi contendant justi omnes, non profecto Deum toto corde diligunt. Perfectis autem tribuimus, ut id faciant sæpius, intensius, ardentius. Ergo amor quinti status, quarti status amore solo gradu differt, haud ulla alia re. Quod etiam paulo post ex auctore statuemus: quin amor quarti status secundum communem scholæ notionem, totum quintum statum virtute comprehendit, ut dictum est; (sup. art. 1.) sic ergo quidquid ultra excogitaveris inane figmentum est.

ARTICULUS VI.

Ex concessis ab auctore contra ipsum infertur, quod omnis justus Deum anteponat sibi.

176. Neque id præsul diffitebitur; siquidem se ipsum intelligat; quarto enim amori, id est justificanti tribuit, *ut revera licet non semper explicite, tamen implicite* Deum anteponat sibi. Atqui hæc summa perfectionis est. Nihil enim ultra superest secundum auctorem, quam ut sese ille animi sensus prodat, *expediat*, *evolvat*: inerat ergo, etsi nondum evolutus. Neque fieri potest ut quis sit vere justus, nisi eo sensu polleat, quo Deum anteponat sibi: seque ita referat ad Deum, ut se propter Deum, & Deum plus se ipso diligat. Quod ergo

Max. des SS. pag. 18.

Ibid.

gerit

gerit pectore, sæpe erumpat necesse est, & ex implicito fiat explicitum. (ex 2. quæstione, art. 9. n. 33.)

177. Merito ergo diximus, tota ista auctoris tractatione de communi notione caritatis, deque Deo sibi anteferendo, nihil aliud agi, quam ut fucus fiat theologis: hæc enim ad justos omnes pertinent, non tantum ad perfectos, de quibus quærimus: pessimeque merentur de amore quem laudant, qui referunt ad perfectos id quod omnes pii præstare teneantur. Quem statum dum exsuperare conantur quinto illo amoris gradu, id profecto agunt, ut perfectionem in falso & inani ponant: nempe in amovendo studio beatitudinis, ut etiam sequentia clarius prodent. Interim statuimus amorem quinti gradus, & ab eo quarti discrimen ex auctoris quoque decretis male & erronee esse assignatum: quod erat demonstrandum.

ARTICULUS VII.

Quod amor quinti gradus, sive purus ab auctore dicatur inaccessus plerisque justorum.

178. Ea de re verba auctoris perspicua in trium episcoporum Declaratione transcripta sunt. Horum hæc summa est: *amorem quarti gradus, justificantem scilicet, nec tamen perfectum aut gratuitum ac purum, multos facere sanctos: plerasque sanctas animas numquam in hac vita pervenire ad amorem ab omni proprio commodo absolutum: inanem operam futuram si illis aliquis amor sublimior proponatur, cum ad eum pervenire non possint; destituti quippe*

Decl. p. 16. Max. des SS. pag. 14. 15.

ad

ad eum assequendum interiori lumine & gratiæ attractu: itaque nec illis amorem sublimiorem proponendum; quod si fieret, durum, & perturbationi, ac scandalo foret obnoxium: quo etiam factum sit, ut antiqui pastores, ac sancti hunc amorem quinti gradus per quamdam œconomiam silentio premerent, nec justorum vulgo proponerent; sed tantum exercitia amoris mercenarii. Hæc auctor in libello de doctrina sanctorum perspicuis verbis.

p. 281.

Rep. a la decl. p. 107. 109. 110. 111. 112. 113.

179. Nunc autem hæc omni arte eludere nititur; sed perperam. Summa responsorum ejus: 1. Vocari omnes justos ad perfectionem amoris, vocatione generali non speciali semper. 2. Non omnes christianos ad eumdem vocari perfectionis gradum. 3. Id quod reticeri vult plerisque sanctorum, non esse purum amorem, sed aliquod ejus exercitium; nempe contemplationis usum. 4. Cum amorem quinti gradus reticeri vult sanctis, non id umquam intelligi de sanctis canonisatis, sive ut exprobrat Meldensis, de sanctis singulari titulo consecratis. 5. Neque quæstionem esse de dogmate puri amoris speculative sumto, sed tantum de ejus praxi non indicenda vulgaribus justis. 6. Hujus generis arcana a Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Cassiano, ceterisque admitti.

180. Sed hæc mera sunt ludibria. Ad primum enim & secundum dicimus, quidquid sit de illa vocatione speciali, de qua nunc non agitur, id tamen esse de fide non posse deesse lumen interius, aut gratiæ attractum, ad perfecte exequendum præceptum puri amoris; quod nihil est aliud quam præceptum caritatis.

181. Ad

181. Ad tertium: id quod reticeri vult auctor *est amor perfecte a commodo absolutus:* hic ille est amor inaccessus sanctis, ac si proponeretur, perturbationi ac scandalo futurus, durusque omnino videretur: hæc, inquam, de ipso amore dicuntur, non autem de quodam orationis exercitio, ut cavillatur præsul.

Max. des SS. p. 14.

182. Ad quartum de sanctis canonisatis, sive singulari titulo sanctorum vocabulo appellatis: sane ita intellexeram, eo quod more vulgari sancti absolute appellati eos sanctos indicare soleant: sed hæc nihil moror: satis enim est ad errorem, pleras ue sanctas animas, ac sanctos quocumque modo eximios, puro amore audito, scandalisari, conturbari tamquam de re dura & inaccessa.

183. Ad quintum: certissimum est ab auctore vetari, *ne de illo purissimo quinti gradus amore verba fiant, nisi Deo prius instigante.* Illud enim ipsum est, quod a fidelium vulgo, deficiente *interno lumine*, non intelligatur: quos proinde ad illum amorem purum atque gratuitum adhortari nec directores debeant, sed rem Deo integram relinquere, quod est absurdissimum & erroneum: quippe ex quo consequatur, nec præceptum caritatis ad vivum explicari, aut puram dilectionem suaderi oportere.

Max. p. 15.

Rep. a la decl. p. 112. Perf. sur l' Inst. past. n. 60. & 66. p. 68. 76. 77. 78.

184. Ad sextum: de sanctis, hæc velut quædam arcana docentibus, alibi responsum est: clareque demonstratum, neque Gregorium Nazianzenum, neque Chrysostomum arcana, sed ardua & excelsa dixisse: neque Cassianum, aut Gersonem, aut quoscumque alios reposuisse inter arcana, puri amoris intel-

Myst. in tut. n. 146. & seq.

ligentiam. Atque ita solutæ sunt cavillationes omnes, errorque auctoris in manifesto est.

ARTICULUS VIII.

Conclusio: de toto libro ab ipsis initiis sponte collapso.

185. Jam ut ab ipsis initiis ipsum libri scopum confutatum ostendam, sit illud a D. Cameracensi concessum, *puriorem dilectionem quinti status nihil esse supra ipsam caritatem cuicumque justo communem; verumque esse id tantum, caritatis actus, servata semper sua specie, frequentiores esse ac intensiores in perfectis quam in imperfectis*: quo posito frustra quæritur amor ille quinti gradus conturbaturus sanctos, iisque reticendus. Neque enim ulla est pia anima, nedum sanctus aliquis, qui *communem justis omnibus caritatem, ejusque frequentiores intensioresque actus* refugiat, & *ut duros* horreat. Ergo amor ille quinti gradus, quo totus liber collimat, evanidus, nullus, immo merum amoris spectrum, & ludibrium est.

Resp. ad Sum. p. 6.

Ibid.

ARTICULUS IX.

Summa errorum qui in hac quæstione demonstrantur.

186. Adde amorem illum quinti gradus non modo esse vanum, sed etiam noxium, & erroneum, quatuor scilicet erroribus demonstratis.

1. Error de abdicando beatitudinis studio: (n. 165.)

2. De puro amore a sanctorum oculis amovendo: (n. 171. & seqq.)

3. De

3. De amore caritatis justificantis, ad Deum habitu tantum & non actu referendo: (n. 166.)

4. De natura peccati venialis, deque ipso ejus actu referibili ad Deum, ad eumque habitualiter ordinato.

QUÆSTIO XII. BIPARTITA.

De locis Exod. XXXII. 32. & Rom. IX. 3. ac de suppositionibus impossibilibus.

187. Rursus nobis res redit ad locos Moysis & Pauli, & ad suppositiones illas impossibiles toties explicatas; sed quia omni auctoritate destitutus præsul in ratiociniis inde deductis omne præsidium collocat, videamus primum quid ex his per novam sophisticen inferat, quidve reponamus: deinde, qui & quanti ex ejus doctrina errores eruantur.

PRIMA PARS QUÆSTIONIS.

Qua auctoris argumenta referuntur & confutantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Tria absurda mihi imputata.

188. Præsul omnibus paginis me accusat, quod suppositiones illas impossibiles asserens, in tria vel maxime absurda me conjecerim: primum, quod ille actus Moysis & Pauli contra rationem esset, cum nulli actui rationali beatitudinis motivum deesse posse

Oppos. p. 14. 15.

Ibid. p. 14. 15. decreverim, cui tamen illi renuntiaverint: unde sit consequens, eorum actus nihil aliud esse quam pios excessus, sive amatorias amentias omni ratione destitutas.

189. Alterum absurdum, sive incommodum; quod ego Deo adimam libertatem creandi naturas rationales sine ullo respectu ad vitam æternam, quæ tamen eum sine ullo hujus beatitudinis motivo diligerent.

Ibid. 17. 14. 24. 190. Tertium, quod actus illos faciam mendaces, impios, & hypocriticos, eo quod per restrictionem mentalem reservarent beatitudinem, quam immolare velle videbantur. Quod postremum argumentum toties, tamque prolixe urget, ac inculcat, ut in eo vim maximam collocasse videatur.

Ibid. p. 14. 26. 191. Quo etiam loco duo quærit. Primum: *num Deus omnipotens potuerit formare creaturas intelligentes, quibus nec sui visionem, nec vitam, aut beatitudinem æternam indulsisset: sive, an beata & æterna vita creaturæ intelligenti in rigore, & ad summos juris apices debeatur*. Alterum: *an non illa natura ad Deum diligendum teneretur? an Deus sua in illam jura perdiderit? an non homo, quem Deus ea lege creaverit, ut ejus animam statim atque exiret ex corpore, redigeret ad nihilum, etsi esset ejus rei conscius, tamen ad Deum supremo amore etiam inter suprema suspiria diligendum se sentiret obnoxium?* Ibi fingit me ad extremas deductum angustias mirum in modum torquere me, ne ab illis me difficultatibus expediam.

192. Quærit denique, an non mea me pungat conscientia, miras illas a me quoque recognitas traditio-

tiones in deliris actibus reponentem, nullo sensu, nulla theologiæ regula.

193. Hæc igitur omnibus scriptis inculcat: hæc fictus Lovaniensis tamquam palmaria omnibus paginis urget: hæc epistolæ ad Illust. Archiepiscopum Parisiensem mille modis versant, tanta dicendi arte, ut dialecticis laqueis propemodum irretitus videar; quæ tamen tam vana sunt ut uno velut ictu concidant.

Lett. d'un theol. de Louv. p. 28. jusqu'à 36.

ARTICULUS II.

Una quæstiuncula res tota dirimitur, Augustino & Chrysostomo testibus.

194. Ego tot nova, tam in hac quæstione hactenus inaudita a me quærenti, unam propono quæstiunculam: an Moyses dicens; *aut dimitte, aut dele me de libro vitæ*, si de vita æterna intelligendus venit, putaveris se revera de libro vitæ æternæ esse delendum? Idem quæro de Pauli anathemate; an revera tunc crederet se esse anathema futurum? absit. Nam & Moyses & Paulus impie errarent; impia crederent, si sentirent se innocuos aliorum salvandorum gratia de libro vitæ æternæ delendos, aut anathema, sive maledictum futuros. Non id ergo credebant: immo se salvos ac beatos futuros esse sentiebant.

195. Sane Augustinus in illud, *dele me: securus hoc dixit, ut in consequentibus ratiocinatio concludatur, ut, quia Deus Moysem non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* Rursus alio loco: *cum Deus minaretur sacrilego populo, pia*

q. in Exod. cap. 147.

Serm. 88. edit. Ben. de verbis Ev. n. 14.

Moysi viscera tremuerunt: opposuit se pro illis iracundiæ Dei: Domine, inquit, si dimittis ei peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro; quem scripsisti. Quam paternis, maternisque visceribus, quam securus hoc dixit attendens justitiam, & misericordiam Dei! ut quia justus est non perderet justum, quia misericors est ignosceret peccatoribus.

196. En quam securus Moyses se de libro vitæ æternæ delendum offerret: an propterea per restrictiones mentales illudebat Deo? an Paulus nesciebat se non propterea futurum anathema, aut Dei justi sententia a Christo separandum propter impios? an Deum existimabat injustum fore sibi, ut Judæos lucrifaceret, nec saltem illud suum cogitabat: *non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri?* plane ex Augustino respondebimus: *securus hoc dixit;* neque eo secius veram Deo & proximo caritatem exhibebat.

Heb. VI. 10.

197. Hinc etiam illud a Chrysostomo inculcatum; id Paulum pro Judæis obtulisse Deo ea conditione, *si fieri posset*: unde etiam, eodem teste Chrysostomo, supponebat Paulus; *id quidem futurum non esse, ut fieret ipse anathema*. Idem Chrysostomus, cum Paulum dixisse memoraret, non se ab Angelis aliisque potestatibus separandum a Christo, diserte hæc addidit: *Neque hæc dicebat Paulus, quod Angeli ipsi, vel reliquæ potestates id tentare vellent: absit: sed ut amoris excessum ostenderet*. En excessus, sed is pius, quem in me toties reprehendit auctor: sed quod est palmarium intelligebat Paulus, & id fieri non posse, quod Deo offerebat, & tamen

Hom. 16. in Epist. ad Rom. Ibid.

Ibid. Hom. 17.

Deo

Deo sincere, nulla restrictione mentali, offerri potuissé: per quæ omnia objecta clare soluta sunt.

ARTICULUS III.

Hujus rei consecutiones.

198. Dices: forte sciebant illud quidem esse impossibile: sed non id cogitabant. Ego vero rursus quæro: quid ergo cogitabant? Deum injustum sibi futurum? an vero ne illud quidem, justusne, an injustus futurus esset Deus, possibile id esset, an impossibile? cæco ergo impetu ferebantur, neque id vere volebant, quod si cogitarent velle non possent.

199. Quare perspicuum est eos omnino intellexisse quid dicerent: intellexisse, inquam, non nisi ex conditione se agere: aperte quidem Moyses: *aut dimitte, aut dele:* neque aliter Paulus intelligi potest, in eoque erat vis, quod pro amore Dei, & pro populi salute, non modo incredibilia, sed etiam impossibilia tentare velle viderentur.

200. Plane eo ritu, quo Paulus *anathema* dicebat Angelum, si e cœlo descenderet, mendacia locuturus: quod quidem non dicebat tamquam id impossibile nesciret, aut non cogitaret, sed ostensurus fidem, si dari posset occasio: etiam impossibilium esse victricem: quod erat maximum ad commendationem fidei. Neque minoris erat aliud impossibile ad commendationem caritatis, neque aliter cogitabat se anathema futurum, quam Angelum falsa dicentem.

201. Quod ergo præsul ait: *si Paulus & Moyses* Oppos. pag. 21.

 sen-

sentiebant, non modo certum sibi manere suam beatitudinem, sed etiam ex tanto caritatis actu, quo eam abdicabant, futuram tutiorem, eorum actus nihil habebant serium: quod, inquam, illud ait, quod assidue & ad nauseam infarcit, ineptum est. Utcumque enim se res habet, certe & ex rei veritate & ex patrum testimonio Paulus & Moyses *securi agebant*, securi loquebantur: per te ergo nihil agebant serium: tibique ad *pios excessus*, ad *amatorias amentias*, ad *restrictiones mentales* æque recurrendum.

202. Nos autem facile respondemus: hæc Moysis, & Pauli fuisse seria, sed dicta per hyperbolen ex vehementia affectus: nec nisi imperite pios excessus sanctis quoque denegari posse credimus, Paulo ipso attestante: *sive mente excedimus, Deo*: & Davide canente: *ego dixi in excessu meo*. De quibus, & de amatoriis amentiis alibi quoque diximus, & per hæc patet solutio ad 3. (n. 190.)

ARTICULUS IV.

Quæstiones auctoris præciduntur, ab iisque deducta (n. 191.) duo prima objecta solvuntur.

203. Veniamus ad illas quæstiones, in quibus auctor omne præsidium ponit: de statu puræ naturæ, deque homine condito sine ullo respectu ad visionem beatificam, aut anima creata sub ea conditione, ut una cum corpore extingueretur: an non ergo illi homines, an non illa anima inter extrema suspiria supremum amorem deberent Deo? quid quod Deus

mer-

mercedem illam æternam debet nemini, nisi ex sponsione, ac promissis gratuitis & voluntariis. Deus ergo absolute posset etiam sanctissimis denegare visionem sui ac mercedem æternam: verumque illud est, non impossibile humanæ mentis objectum, nec absurdum abdicari, si Deus voluisset, eam beatitudinem, qua Deo ita volente carere possimus. Hæc igitur sunt quibus jam niti christianos oporteat supremi amoris actum exercituros. Addere potuisset & illud a quibusdam positum, nempe Deum ex supremo dominio posse addicere æternis suppliciis animas etiam immerentes, etiam sanctas: nec minus interea ad Deum diligendum obligatas.

204. Sed hæc inutilia ad nostrum institutum, non nisi ad amovendum ex oculis veram quæstionem inducuntur. Non enim profecto Moyses, non Paulus, aut ad puræ naturæ statum, aut ad animæ interitum animos retorquebant. Augustinus & Chrysostomus illa supremi dominii ferrea jura nesciebant: respiciebant ad statum a Deo revelatum, in quo sumus: ad illam ordinatissimam Dei sapientiam, qua, teste Salomone, punire insontes exterum a sua virtute esse judicat: ea re Moyses & Paulus sciebant se esse securos: sciebant impossibile esse quod Deo offerebant: ea vel per pios excessus, vel per alias quascumque volueris sermonis figuras, bono certe animo, sed quod negari non potest, securo, & tuto loquebantur. Non ergo quærendum, quid in statu metaphysico, si forte constituti agere teneremur; sed quid nunc a Deo, Christo revelante, rebus ut sunt stantibus, agere jubeamur. Per quæ patet solutio ad secun-

Sap. XII. 15.

secundum argumentum, & ad ei connexas quæstiones propositas. (n. 180. 181.)

205. Neque propterea admittimus illam de anima interitura rationem. Animas quidem scimus, ut & angelos, esse spiritus naturà immortales, & ad ejus imaginem a Deo conditos: Pomponatium & alios aliter disserentes impios dicimus: tam innatum esse animæ rationali æternum vivere, quam soli splendescere, igni calefacere: neque propterea de restringenda Dei absoluta potentia cogitamus, sed potentiæ illius ordinatæ, quam schola omnis agnoscit, effectis a Deo revelatis appliciti, cetera inutilia ad metaphysicos ablegamus, & puri amoris usibus inservire, aut ad eum finem hactenus a quoquam allata esse negamus.

206. Nec magis ad rem facit, quod auctor disertissimus, sed ad vana conversus, de Socrate, aliisque copiosissime philosophatur: qui cum nec de Dei visione cogitarent, & de animæ quoque immortalitate dubitarent, ultro tamen & virtutem quærerent, & pro patria aliisque motivis ultro mortem oppeterent, nullo tum beatitudinis, sive supernaturalis, sive etiam naturalis objecto: omnino enim omnibus paginis beatitudinem quæ unt, cujus gratia etiam Epicurus omnià se agere & docere profitebatur. Nec si æternam beatitudinem nesciebant, ideo est consectaneum Paulo & Moysi omissam eam esse cujus securi viverent, ut diximus, per quæ objectionem quoque primam solvimus: (sup. n. 180.) atque ita, inverso licet ordine, tres objectiones, quibus tota difficultas constabat exsolvimus, ex uno principio deducta doctrina.

3. *Lett. a M. de Paris, pag. 5. jusqu'a 12.*

AR-

ARTICULUS V.

De falsis quibusdam auctoris suppositionibus per antecedentia dissolutis: deque absoluta abstractione a beatitudine penitus impossibili.

207. In Responsione ad Summam, pro certo supponit auctor, *Deum posse diligi absque motivo beatitudinis*; immo *eo amputato*, *perfectissimam amandi rationem vigere*: *negando* itaque, *ut Meldensis affectat*, *ullum actum ratione praeditum elici posse*, *abstractione motivi beatitudinis facta*, *futurum omnino esse*, *ut quod magis Deo dignum est in cultu interiore resecetur*: nempe ille actus motivo beatitudinis vacuus. Hunc ergo vel maximum errorem errat adversus unanimem patrum ac doctorum, ipsiusque adeo Scripturae sacrae sententiam, hoc unico fundamento fretus: quod in illis desideriis Moysis, & Pauli ex conditione impossibili editis, ille a motivo beatitudinis vacuus reperiatur actus, quod est ipsis terminis evidentissime falsissimum: essent quippe beatissimi secundum Augustinum *qui & haberent quod vellent*, *& nihil vellent male*. Jam quicumque optat, idem beatus esse vult, dum vult optato frui; quod est beatum esse velle. Non potest autem quis invitus esse felix; esset enim simul & felix, qui optato potiretur, & infelix, qui optato frui nollet; quae quidem Augustino, non sunt dogmata, sed portenta. Ergo absurdissimum est, a quovis desiderio secludere votum beatitudinis. Nec potest quis cum Paulo dicere, *optabam anathema esse*, nisi quadam proposita beatitudine, quae optatum consecutura esset, si impleri posset.

Resp. ad Sum. p. 40, 44.

De beat. vit. de Trin. 13. 5.

Ibid. 8.

208.

208. Quod autem videtur summam & in omni genere beatitudinem abdicare, haud minus falsum. Eo enim ipso quod eum actum edit Paulus, plane significat se rem optatissimam offerre pro Judæis: ergo illud ipsum conjungi cum Christo, quo se certo modo privari volebat, Paulo erat optatissimum, nec optare cessabat. Cum enim dicebat illud, *vellem si fieri posset*, absolute nolebat illud quod fieri non posse, nisi & ipse sentiret, profecto desiperet, ut supra dictum est: (nu. 185.) ergo in illo, *optabam anathema esse a Christo*, Christi desiderium inerat vel maximum: nec immerito Chrysostomus illud *optabam*, ex Christi vehementissimo desiderio ortum esse decernit, ut mox videbitur.

Hom. 16. in Rom. Homil. 4. in Phil. Préf. sur l'Inst. past. n. 150.

209. Quanti autem meriti esset ille actus dicere-mus, nisi alibi explicatum esset. Quod autem negamus, & sæpe negavimus, illum actum in se perfectiorem esse, quam alios caritatis actus, absque illis conditionibus impossibilibus editos, ex ipso etiam auctore mox constitit: (n. 163. & seq.)

Myst. in tuto n. 191. & seqq.

210. Quare, quod auctor asserit, *torrentem theologorum nondum credidisse tam perfectum esse mercedis desiderium, ac illud optatum de anathemate pro fratribus*, vanum est. Actus enim ille ferventissimæ caritatis, quo quis cum Paulo ita vult esse cum Christo, ut illam beatitudinem ad Dei gloriam referat, tam ex rei veritate, quam ex concessione auctoris, totum illud comprehendit, quo sancta anima Deum anteponat sibi, nulla licet adsit conditio impossibilis. Ergo illi actui Christi potiundi vel maxime studioso tota vis amoris inest: neque ex apposi-

Oppos. 23. 24.

ta

ta conditione impossibili aliud quidquam acquiritur, quam ut id quod inerat clarius evolvatur: quod ipso auctore teste non est necessarium. (n. 169. 176.)

Max. des SS. p. 18.

211. Neque unquam diximus id quod nobis D. Cameracensis imponit, ita posse abstrahi amorem beatitudinis, ut non ejus virtute & impulsu agamus, ut supra diximus. (n. 33. 176.)

212. Neque item verum est id quod imputatur nobis, *si desit beatitudo Deum sua amabilitate caritu rum*. Fatemur enim Deum sua perfectione esse amabilem, idque centies inculcavimus; addimus autem Dei perfectionem summam non plene intelligi, aut etiam cogitari posse, secluso eo quod Deus sit benevolus, quod sit beneficus, quod sit beatificus: quod ab omnibus æque asseri, neque ab ipso auctore tametsi id obscuraverit, absolute negari potuisse, sæpe constitit.

Resp. ad Summa, p. 10. 25. 45.

213. Itaque a beatitudinis studio ita voluntas abstrahit, ut intellectus a primis principiis, cum tamen nulla conclusio nisi eorum virtute & influxu elici possit.

ARTICULUS VI.

Ex modis impossibilia supponendi antecedentia demonstrantur.

214. Diversimode sanctis evenit illud, *non sciebat quid diceret*, quod contigit Petro, cum visa Christi gloria præpostere delectatus exclamaret amens: *bonum est nos hic esse*. Quibusdam vero contrario modo evenit, ut visa Christi gloria plus nimio dele-

Marc. IX. 5.

delectari vereri videantur: sic autem amorem suum enuntiant: utinam divinis oculis aliquid suffurari possim, ut intelligar amare gratis, ac nulla mercedis spe! Quod quidem invenitur in quorumdam sanctorum visis, atque scriptis. Sed illud ad litteram sumi vetat pietas. Quid enim: ut amori tuo morem geras, vis Deum cæcutire: ac divinæ scientiæ lumen exstingui? absit ut quisquam ex animo hoc dicat. Quid autem est illud, ut gratis amare intelligar? a quo intelligare? nisi nempe absurda comminiscare, nesciet Deus te amare pure: ergo ut intelligas te pure amare, hoc voves? an illud est amici, ut ipse amore suo delectetur, velle, ut eo non delectetur Deus? velle, ut Deus sit lapis, ut summi amoris apud animum tuum laudem feras? iterum atque iterum, absit. Quid ergo? velit, nolit auctor: amatoriæ insaniæ, pii excessus, impii futuri si ex absoluto consensu proferrentur; neque aliud occurrit quam illud Marci; *non sciebat quid diceret*.

215. Jam ad illud Paulinum sensu Chrysostomi intellectum, *optabam anathema esse a Christo*: ab eo dicto si tollas illud, *si fieri posset*, nec sentiat Paulus non esse possibile, nempe illud consequetur, ut Paulus voluerit Deum esse injustum, & pro impiis a Christo separare sanctos: (n. 187. 188.) quid ergo illud est nisi pia *hyperbole*, pius excessus: non ex ignoratione, sed ex affectus vehementia? non ergo ei aptaverim illud: *non sciebat quid diceret*: sicut nec cum diceret, *si ego aut Angelus de cælo aliud evangelizaverit, anathema sit*. Sed omnino id agebat, ut ostenderet amorem suum tan-

Homil. 16. in Rom.

Ibid.

tum

tum esse, ut vim omnem humani sermonis exsuperet: quod quidem Silvius exponit his verbis: *tam ardenter cupio* (salutem judæorum), *ut aliter exprimere non possim quam dicendo, optabam* &c. In 2. 2. q. 26. ad 1.

216. Quid si quis diceret: utinam id fieri posset! quid? nempe ut Deus esset injustus, neque id *vellet quod vult?* absit hoc a Paulo, nec dignum apostolica majestate: more Christi dicas: *pater, si possibile est, si vis*; non autem, vellem ut velles: vellem, ut possibile esset. Dicant tamen quibus inest tantus mentis excessus: intentionem laudavero exprimentis ut potest etiam per hyperbolen, quam Dei gloriam anteponat suæ; verum & illud adscribam, *non sciebat quid diceret*.

ARTICULUS VII.

De modo enuntiandi auctoris ipsius.

217. Quid illud auctoris: *jam non amatur Deus, neque propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter beatitudinem in amando conceptam: tantumdem amaretur, etiamsi per impossibile se amari nesciret, ac vellet infelices in æternum facere qui eum amarent*. Alibi: *nec Dei beatifici visio ulla re amorem auget*. Max. des SS. p. 10. 11. p. 18.

AR-

ARTICULUS VIII.

An Deus revera tantumdem amaretur, si se amari nesciret.

218. Duplex impossibile: primum, *tantumdem amaretur, ac si per impossibile se amari nesciret:* in rigore falsum, & impium. Hoc est enim dicere: cognitione qualibet beneficiorum Dei quantumvis maximorum, non potest efficere Deus ut magis diligatur. Vacat ergo illud Christi: *magis diligit, cui plura donata sunt: cui autem minus, minus diligit:* contra expressa Christi verba, ut dictum est: (n. 4. prop. 20. 21.) neque ad ullum rectum sensum redigi potest, nisi per hyperbolen, ac pium excessum, ut vidimus (n. 205. 206. 214. &c.).

ARTICULUS IX.

An verum sit illud: non auget amorem Dei beatifici visio. n. 217.

219 Insana propositio, si sancto Augustino credimus, ut visione sui nihil lucretur Deus; ut tanta pulcritudo nec visa magis placeat, magis amorem accendat. Verba Augustini sunt: *nimis insipienter dicitur, tantum amari Deum antequam videatur, quantum amabitur cum videbitur.* Sequeretur enim in ipsa patria nec Deo viso majorem futuram esse justitiam; quod est erroneum: unde idem Augustinus: *porro si in hac vita nemine dubitante, quanto amplius diligimus Deum, tanto sumus utique justiores,*

Ad Bonif. 3. cap. 7. n. 21.

Ibid.

res, quis dubitet piam veramque justitiam cum fuerit dilectio perfecta tum perfici? item de doctrina christiana: *si credendo diligimus quod non videmus, quanto magis cum videre cœperimus?* Quam veritatem habes centum in locis, præsertim vero libro de spiritu & littera, luculentissime demonstratam.

1. de doct. chr. c. 38. n. 42.

De spir. & lit. cap. 10.

220. Quod si fieri non potest quin visio Dei firmet, ac perficiat caritatem, proportione facta desiderii vis idem aget, cum ipsum desiderium caritati vertat. Recte enim Augustinus: *appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ, fit amor cognitæ*. Quare promissum videndi Dei æque suo modo incitabit caritatem ac ipsa visio; nec fieri potest quin magis ametur summa pulcritudo cum se videndam offert, quam si non offerret. Alioqui potiri aut non potiri Deo, imperfectam habere an perfectam justitiam pro re indifferenti haberetur; quo nihil est Deo indignius.

De Tr. lib. 9. cap. ult.

221. Quare cum aliqui sanctorum negant plus amari Deum beantem animas, quam non beantem; de caritate dixerunt, quoad essentiam, ac substantiam actus; quod est verissimum: neque enim caritas patriæ, ac viæ substantia differunt, dicente Apostolo: *caritas non excidit*: quin autem caritas ex visione Dei sit perfectior, purior, firmior caritate ex fide concepta atque ænigmatibus obvoluta, dubitare dementis est.

222. Falsum ergo est id quod concludit auctor ex suppositionibus impossibilibus, *separari posse motivum Dei remuneratoris, sive beatifici, a Deo perseveranter dilecto, licet res separari non possint*: nul-

Max. des SS. p. 28.

lus enim sanctorum id dixit; immo ex illorum auctoritate docuimus, illa motiva Dei, ut est perfectus, & ut est beneficus, ac beatificus, non esse separata, quæ per se subordinata, quæ conjuncta sint, quæ in unum coalescant. (ex n. 4. prop. 26. 30. 31. item ex n. 82. 84. 86. &c.)

ARTICULUS X.

An in istis tantus sit labor, quantum auctor fingit.

Opus. 10. 223. Quare quod ait auctor me multum laborare in exsolvendis objectionibus quas ex impossibili ducit, fallitur. Nullo enim labore respondeo, voluntatem abdicandæ æternæ conjunctionis cum Deo, ipsiusque adeo æternæ beatitudinis, *si Deus vellet, ac possibile esset*; cum sit conditionata, facile conciliari cum absoluta, & inseparabili, suique securissima voluntate salutis æternæ: quo tota difficultas nullo labore solvitur.

224. Non ergo me pungit conscientia, ut ibidem Ibid. fingit auctor, quasi actus Paulo & Moysi a quibusdam patribus attributos nullius sensus esse, & ab omni regula alienos dixerim: non enim umquam hoc dixi; immo vero ostendi, securitatem illam (qua, utpote irrationabili, meam conscientiam stimulari, & gravari sensit auctor) & ex rei veritate, & ex ss. Augustino & Chrysostomo esse deductam.

225. Nec ullius laboris est, explicare meritum horum actuum, eo quod tantus sit amor, ut & possibilia complectatur, nempe voluntatem assequendæ in

in Deo beatitudinis, & super impossibilia eniti videatur; ut dictum est. (n. 215.)

226. Quin etiam mea me conscientia gravissime pungeret, si fingerem Moysen & Paulum non fuisse securos, cum hos actus ederent; quod auctor de illis indignissime & contumeliosissime affirmavit; ut diximus. (n. 201.)

ALTERA PARS QUÆSTIONIS

Adversus auctoris errores in prima parte explicatos.

ARTICULUS XI.

Primus error: de actibus separatis a motivo beatitudinis; sancti Augustini decreta seu principia quatuor.

227. Submotis igitur vanis quæstionibus de pura natura, deque animæ mortalitate, & aliis ejusmodi, quæ diverticulo tantum, & rebus involvendis instítutæ erant; hi errores auctoris ad purum eliquantur. Primus error: actus rationales a beatitudinis studio absolutos, esse admittendos ut perfectissimos: immerito me reprehensum, quod eos actus scilicet a beatitudinis studio penitus absolutos esse posse negaverim: iis enim recisis, recidi pariter quod in Dei cultu est optimum: nec posse negari sanctos sine ullo motivo beatitudinis agere potuisse, cum etiam philosophi, aliique apud paganos sine illo motivo, ultro pro patria, aliisque rebus mortem oppetierint.

228. Huic autem errori variis modis expresso, opposuimus n. 4. propos. 1. 2. & sequentes ad 7. totamque quæstionem secundam; & Augustinum millies, cujus hæc sunt certa decreta. 1. non posse indifferenter haberi beatitudinem: *quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? aut quomodo amatur quod utrum vigeat, an pereat indifferenter accipitur?* 2. *nisi forte virtutes, quas propter ipsam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus; quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam propter quam solum istas amavimus non amamus.* 3. & aliorum radix: *quomodo erit vera tam illa perspecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia; beatos esse omnes homines velle*: ac paulo post: *si volunt ut veritas clamat, ut natura compellit, quia summe bonus & immutabiliter beatus creator indidit hoc*. Ex quo tria exsistunt: primum, non esse virtutem, atque adeo non esse caritatem, quæ hoc sibi tentat demere, ut beata esse velit. Alterum, non posse esse indifferens ulli virtuti, adeoque nec ipsi caritati beatitudinis studium, & caritatem non esse quæ id conetur. Tertium, pugnare contra naturam, atque adeo contra Deum, qui a quoque actu suo hoc votum, hoc studium tollere nititur: ex quo consequitur, quæcumque auctor intulit ex suppositionibus impossibilibus, de separando motivo beatitudinis ab actu amoris, & a virtute caritatis, esse impium & contra naturam & contra ipsum Deum.

De Tr. 13. 8.

229. Quod si responderint, illud intelligi de desiderio

derio beatitudinis ita innato, ut non sit etiam ex cognitione vere elicitus: immo cæcus & cæco impetu ortus, quemadmodum positum est in quadam præsulis explicatione manuscripta: contra; esto Augustini quartum decretum istud: *quoniam verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cetera quæcumque appetunt; nec quisquam potest appetere quod omnino quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit quod velle se scit, sequitur ut omnes beatam vitam sciant.* Ibid. cap. 5.

230. En clare beatæ vitæ desiderium non ita innatum ut cæcum sit, sed ex cognitione elicitum. An autem sit etiam deliberatum, frustra quæritur, cum de ea re volenda, quam nemo non velle possit, nulla sit deliberatio. Ad cumulum erroris accedit, quod me sancti Augustini, eumque secuti s. Thomæ verba, & dicta exscribentem, omnibus academiis proscribendum proponat, ut vidimus (in prologo).

231. Hæc autem Augustini decreta clarissima, scripturis aperte congruunt; nullus enim major, & copiosior beatitudinis, sive beatæ vitæ prædicator quam ipse Christus; neque separari sinit exempli gratia studium mundandi cordis, quod est virtus, ab optata visione Dei, quæ est beatitudo, quam nemo non optat; ita de ceteris. Clare ergo supponit beatos esse velle quibus has virtutes suadet, hæc præmia proponit. Sunt ergo omnes homines beatitudinis amatores, eoque studio ad capessenda Christi præcepta, ac præmia incitantur. Ergo virtus quæ auctore præsule, id vult eripere sibi ut non curet

beatitudinem, nullo modo est virtus etiam christiana.

Luc. X. 25. 232. Sic ille qui dicit: *Domine quid faciendo vitam æternam possidebo?* ejusque rei gratia jussus a Domino, commemorat illud: *diliges Dominum Deum tuum*, manifeste confert illud mandatum ad finem beatitudinis: neque eo minus probatur ab optimo magistro dicente: *hoc fac & vives*.

233. Nec mirum, cum votum ac ratio beatitudinis clare comprehendatur inter ipsa motiva præcepti

Deut. VI. his verbis: *ut bene sit tibi*: etiam his: *diliges Dominum Deum tuum*: ut ostendimus (n. 4. prop. 15.).

234. Quare quisquis cum auctore asserit, hoc adimere sibi posse virtutes, non modo naturæ, atque ejus auctori Deo, sed etiam evangelio, & traditioni repugnat: quod erat demonstrandum.

ARTICULUS XII.

Alii errores de sacrificiis sive conditionatis, sive absolutis.

235. Ex his etiam patet erroneum esse, immo impium atque blasphemum id quod auctor asserit de sacrificiis in extremis probationibus.

236. Primus ergo error est: quod Moyses & Paulus hoc sacrificium offerentes, non fuerint securi salutis æternæ (ex n. 201.), quod est contumeliosum in sanctos, & blasphemum in Deum a quo inspirati erant.

237. Secundus error: quod admittat auctor non solum conditionatum sacrificium ex impossibili, quod

est

est Chrysostomi, & sequacium ejus; sed etiam absolutum, quod nusquam invenitur in sanctorum scriptis: id enim post Chrysostomum semper addunt: *si fieri possit* (sup. n. 107. 215.): neque umquam aliter: auctor ergo sanctorum dictis addit: novaque & inaudita fingit.

238. Tertius error: illud absolutum habet idem objectum, quod & conditionatum, cum absolutum illud in eo sit, *quod casus impossibilis non modo possibilis, sed etiam actu realis esse videatur*: casus autem impossibilis, sive conditionalis, de salute æterna erat: ergo & casus absolutus, ac realis visus, de eadem salute est; quæ est vera abdicatio salutis æternæ.

Max. des SS. p. 90.

239. Hæc autem alibi fusius exsequemur; sed sufficiunt ut ostendamus auctorem a patrum, etiam eorum quibus utitur, sententia toto cælo aberrare.

ARTICULUS XIII.

De sancti Chrysostomi & aliorum Patrum sententiis auctori oppositis.

240. Hæc addimus veluti mantissæ loco: primum, Chrysostomum ab auctore alienum; deinde, alios patres non omnes Chrysostomi sequi sententiam.

241. Nam præterquam quod Chrysostomus istud sacrificium, ut auctor appellat, non agnoscit nisi conditionatum, & ex impossibili, ut vidimus, Chrysostomus clare distinguit Patrem ab ipsis Patris rebus: & res quidem Patris abdicare paratus, *si id fieri posset*, tamen ab ipso Patre, ejusque συνεσεως

Homil. 15. in Rom.

studio non se vel per illam conditionem impossibilem separabat. Verba Chrysostomi: *ut ingenuus, ac Patris amans filius, Patris consuetudinem, συνουσίαν, exspectabat solam:* hoc est cum eo versari, ejus præsentia frui avebat: quare quod hic ex impossibili abdicat, sive regnum cœlorum, *sive fruitionem quamdam*, non substantiam regni, quæ est ipsa *consuetudo & συνουσία* cum Deo, sed accidentalia quædam, nempe exteriorem *gloriam profluentem, & societatem cum sanctorum choro cogitabat*.

Homil. 16.

242. At ne id quidem ceteri patres admittebant: non Augustinus; non ipse Cassianus; non Gregorius Nazianzenus, qui desideria Pauli non ad pœnas æternas revocat, ut pessime interpretatur auctor, sed ad illud *quod aliquid ut impius patiatur*. Pati autem aliquid tamquam impius, procul abest ab æternis suppliciis: & nihil distat ab eo quod pertulit Christus maledictum pro nobis factus, ut alibi vidimus. Et sit patet, nec omnes patres in allatam a Chrysostomo descendisse sententiam, nec auctori ipsi Chrysostomum licet alleganti, cum eo convenire.

Pref. sur l' Inst. past. p. CCVI. & seqq.

ARTICULUS XIV.

De incommodis.

243. Præter errores gravissimos, multa sunt incommoda, quæ nos ab auctore dissocient. Cum enim Deus tot nos beneficiis ac miraculis supra peccatum, supra naturam evexerit: proprium filium dederit, & cum eo quid non? cum se nobis custodem, provisorem, parentem, sponsumque præbuerit, ut majorem

Rom. VIII. 32.

jorem

jorem in modum amorem eliceret: contra, velut obliteratis tot beneficiis, sic agere cum Deo volumus, tamquam in pura natura constituti: immo vere infra naturam puram: obliti scilicet animam rationalem, secundum Augustinum & alios, natura immortalem esse, ita nos geramus, ac si mortalem eam, ac statim exstinguendam haberemus: neque eo contenti sic amare volumus, veluti nobis nullum evangelium, Christus nullus esset: instar cujusdam Socratis, aliorumque qui testamentorum exsortes degunt: immo vero pejore loco, tamquam nobis nullus esset provisor Deus: non operum nostrorum, non amoris memor, qualem esse fingunt Epicurei Deum; ab illis enim apud Diogenem Laertium legimus, introductum Deum nec amantem res humanas, nec beantem suos, immo nescientem se coli, quem colendum dicerent propter præstantiam naturæ præcellentis. Novi autem spirituales Deum nostrum ex suppositione faciunt etiam tristiorem, qui amatoribus suis non modo nihil præstet, verum etiam pro æterna mercede paraverit sempiternos ignes, æterna supplicia: talem Deum per congestas tot ac tantas suppositiones falsas componunt, ac tum mirifice se sperant amaturos, si ita deformaverint, & salutaria omnia circumciderint. Ceterum impossibilia quædam fingere licuit, sive ex amoris vehementia, sive ad magis exprimendam primariam objectivam rationem caritatis: non autem ad separanda motiva, aut tamquam in eis ipsa perfectio collocetur, ut nostri statuunt.

QUÆ-

QUÆSTIO XIII.

De fine ultimo uno, & de summo bono.

ARTICULUS PRIMUS.

Finem ultimum esse unum : ad n. 4. prop. 3.

244. Illa propositio sic se habet : *præclare sanctus Ambrosius : qui verus est finis, is finis est non unius sed omnium* : (in Ps. 38. n. 16.) ergo unus bonorum, & malorum; christianorum, & infidelium; qui finis non potest alius esse, præter eam quam omnes communiter appetunt beatitudinem. Quid, cum fruuntur Deo, quem plus se ipsis diligunt, suamque beatitudinem ad ejus gloriam referunt, quæ est ipsa essentia caritatis? an tum ipsis alius est finis ultimus, qui non nisi unus esse debuit? Quibusdam placet distinctio finis ultimi, & ultimate ultimi, quem Deum esse volunt. Alii sic exponunt, ut & beatitudo nihil sit aliud quam Deus, sed confuse consideratus : & Deus nihil sit aliud vicissim quam ipsa beatitudo, sed expressius intellecta; ita ut non sit duplex finis ultimus, sed unus vel confuse vel expresse consideratus.

245. Ita Augustinus passim : omnes enim laborare ut assequantur Deum : & qui ab illo aberrant & fallacia bona quærunt, in eis apprehendere quamdam Dei speciem, sive umbram; neque eis inhæsuros, nisi ex reliquiis divinæ lucis, quamdam sectarentur ejus imaginem. Sic in superbia, Dei magnitudinem, honesta-

pestatem, gloriam; in curiositate, Dei scientiam; in avaritia; immensam in Deo rerum copiam; in sensuum voluptatibus, summam Dei quietem, summum de se ac sua veritate gaudium adumbratum vident: nec in quavis creata re finem constituerent beatitudinis, nisi ex quadam Dei specie ibi relucente: nec vere beati sunt, sed se beatos somniant: sunt autem vere beati, cum in Dei beatitudine & gloria suam beatitudinem collocant & gloriam. Denique cum quærunt quietem quam numquam non quærunt, nihil aliud quam latenter Deum quærunt, qui solus quietat; ut omnes theologi fatentur.

ARTICULUS II.

De ratione boni, s. Thomæ doctrina.

246. Radix autem beatitudinis est ipsa Dei bonitas, de qua hæc habet s. Thomas jam inde ab initio primæ partis, quæstione de bono in communi: *ratio boni in hoc consistit, quod aliquid est appetibile: unde Philosophus dicit, quod bonum est id quod omnia appetunt. Quo*, inquit, *manifestum est, quod bonum & ens sunt idem secundum rem; sed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens:* quod sanctus doctor repetit per totam quæstionem.

1. p. q. 5 art. 1.

Art. 2. 4.

247. Hinc docet has inter se coincidere rationes; pulcri, boni, perfecti, & causæ finalis: perfectum enim idem esse ac bonum, & hinc esse rationem appetibilitatis. *Manifestum est enim, quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum: nam omnia appetunt suam perfectionem*. De pulcro au-

Ibid.

Ibid. ad 1.

Art. 4 ad 1.

autem & bono sic habet: *revera esse idem, sed ratione differre: quod bonum proprie respiciat appetitum: est enim bonum id quod omnia appetunt, & ideo habet rationem finis: pulcrum autem respicit vim cognoscitivam.* Unde efficitur, ut omne quod quærit bonum, suo modo quærat Deum, & ratio boni in Deo relativa sit, quippe *diffusiva* sui; sed fundata in ipsa entis absoluta ratione.

Ibid. art. 4. ad 1. Ibid. art. 1.

ARTICULUS III.

Ex his D. Cameracensis confutatio, & radicalis explicatio definitionis caritatis.

4. Lett. a M. de M. 4. object. p. 14.

248. Respondet Cameracensis, *nullum esse dubium, quin bonum sit appetibile sive appetitu dignum: atque hic quæri tantum, an non possit diligi bonum in seipso iis amoris actibus, qui non sint appetitus, sive desideria hujus boni, quod est nobis bonum. Et s. quidem Thomas docet, bonum esse desiderabile, sed non docet diligi non posse tamquam bonum, absque eo quod appetatur eodem actu per quem diligitur.*

249. Responsiones Præsulis attuli ad longum ex postremo libello quem edidit; ut ostenderem difficultatem ab eo nequidem esse intellectam. Vis enim argumenti nostri non est in eo, quod bonum sit desiderabile sive appetibile, ut ajunt, materialiter: sed quod ratio boni sive bonitatis dicat rationem appetibilis additam enti: unde cum Deus diligitur ut bonus, sive ex ratione bonitatis, simul diligi ut est appetibilis ac diffusivus sui; quod idem est ut vidimus. (*n.* 246, 247.)

250.

250. Ex his autem radicaliter intelligitur præclarus locus s. Thomæ jam commemoratus, ubi sic habet: *una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia: secundum ps. 105. Confitemini Domino quoniam bonus*. Si enim sola ratio diligendi principaliter est divina bonitas; ergo ratio diligendi est ipsa appetibilitas, sive illud diffusivum sui: & hæc est ratio diligendi Deum propter seipsum, *propter suam nempe bonitatem, quæ est ejus substantia:* unde ulterius liquet, in primis illis rationibus diligendi Dei inveniri relationem ad nos, ejus generis relationum quas transcendentales vocant, nempe essentiales, ac primitivas in Dei bonitate collocatas, sed in ipsa entis absoluta ratione fundata, ut dictum est. (247.)

2. 2. q. 27. art. 5. ad 2. Sup. n. 24.

Ibid.

251. Ex quo etiam patet, præsulem multum abhorrere a sancti Thomæ doctrina, quam assidue laudat, cum toties distinguit absolutam Dei bonitatem a relativa: clare enim s. doctor nullam agnoscit bonitatem nisi relativam illam, ac sui diffusivam, sed in entis tamen absoluta ratione fundatam.

252. Nec minus fallitur, cum toties inculcat, posse hominem non agere ex desiderio suæ perfectionis ac beatitudinis; ex ipsis enim communissimis, & intimis naturæ principiis eruit s. Thomas hanc sententiam: *omnia appetunt suam perfectionem:* quod ipsum est quærere suam beatitudinem, secundum Augustinum centies: *ideo beati quia illo fine perfecti:* & secundum s. Thomam ex beato Augustino pronuntiantem: *quod ultima hominis perfectio est beatitudo:*

1. p. q. 5. art. 1.

1. 2. q. 3. art. 2.

do: hæc autem quam consonent nostris Propositionibus 16. & 17. n. 4. lector per se videt.

QUÆSTIO XIV.

De spe ac salutis desiderio auctoris errores.

ARTICULUS PRIMUS.

Errores libri de doctrina sanctorum.

253. Ex iis quæ dicta sunt, sequitur spem theologicam in statu perfectorum; hoc est in amore quinti gradus, nullius esse usus secundum principia auctoris; sic autem res conficitur. Caritas ejusmodi est, quæ ne ipsa quidem beatitudine indigeat, aut ea moveatur; ergo nec spe movetur: non enim magis diligeret sperans, ac non sperans. Unde etiam a præsule allegatus Bernardus dicens: *amor non a spe vires sumit*: hoc est ex præsule, non vires sumit ullas. Ergo spes plane inutilis, nec in statum perfectionis, id est in quintum illum gradum admittenda.

254. Aliter: anima perfecta ex præsule non indiget beatitudine: non ergo indiget spe; quod autem addit præsul indirecte indigere, ut mentem attentiorem faciat ad Dei magnitudinem & excellentiam, etsi directe non indigeat, verba sunt: anima enim perfecta secundum præsulem, ne quidem indiget attentione ad opera ac beneficia divina, ut ad Deum magis amandum excitetur, solaque divina excellentia commovetur: ergo spes theologica, beneficiorum recordatio, ipsaque gratitudo res sunt supervacaneæ.

Resp. ad Summa, p. 11, &c.

255.

255. Non ergo mirum, si a statu perfectionis sive a quinto gradu amoris ipsa spes arceatur. In illo enim gradu anima contraxit habitum amandi Dei nullo respectu ad beatitudinem. *Neque enim suppliciorum metus, neque mercedis desiderium ad amorem quidquam conferunt: non merito, non perfectione, non ipsa beatitudine commovetur.* Atqui spes theologica ad hæc tantum utilis: ergo his seclusis est inutilis.

Max. des SS. p. 10.

256. Nihil est ergo cur caritas hanc spem imperet, ex qua nec ardentior nec purior futura sit. Quin etiam si spem imperet nullo sibi emolumento futuram, a perfecto actu amoris illius nulla spe indigi desistet ultro, ut frequenter imperfectum actum nihil profuturum.

257. His congruit id quod confitetur auctor, *proprii commodi motivis plenam esse scripturam, plenam traditionem, plenas ecclesiæ preces*, eaque motiva *& esse reverentiâ digna*; & tamen perfectioribus animabus *subducenda*. Non autem scriptura, non traditio, non ecclesiæ preces alia commendant commodi proprii motiva præter motiva spei theologicæ. Ea ergo sunt motiva, quæ secundum auctorem & imperfectis relinquuntur, & perfectioribus subtrahuntur.

Max. des SS. p. 11.

258. Quæ respondet auctor meræ cavillationes ludificationesque sunt, ut sola eorum expositione perspicuum est. In prima enim epistola, quam ad me publicavit, ait, ea motiva ideo esse reverenda, quod sint reverenda Isaiæ vaticinia, & aliorum prophetarum præclaræ rerum divinarum descriptiones, quibus

ani-

animæ imbecilles in mercenaria desideria ac vota, præter auctorum intentionem inducantur: quod est absurdissimum, neque confutatione dignum. Omnino ludit præsul orbem christianum, dum hæc comminiscitur; unde nec ipse his hæret, ut sequentes articuli demonstrabunt.

ARTICULUS II.

De supprimendis salutis desideriis: Chrysostomi & Ambrosii loci ab Auctore allati.

Resp. ad Summa, *p.* 54. *Homil.* 11. *in epist. ad Heb.* *Homil* 76. *in Joan.* *Lib.* 2. *de Abrah. c.* 8. *n.* 47.

259. Ex Chrysostomo quidem ista referuntur: *Deus voluit virtutem exerceri posse mercedis intuitu, ut infirmitati nostræ se accomodaret*. Alibi: *si quis infirmus est & mercedem intueatur*. Ex Ambrosio vero hæc: *propositum piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam: angustæ mentes invitentur promissis, erigantur speratis mercedibus*. Quæ si ad extremum urgeantur, jam Abraham & Patriarchæ omnes inter infirmos erunt: quos Paulus inducit exspectantes cœlestem civitatem, cujus artifex Deus, ac patriam requirentes salutatis a longe repromissionibus: inter imperfectos Moyses aspiciens in retributionem, ut etiam Concilium Tridentinum ex eodem Apostolo definivit, & angustæ erit mentis respicere ad mercedem eam, de qua scriptum est: *ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Quod si falsissimum est, profecto Chrysostomus & Ambrosius mercedis intuitum remittentes ad infirmas & angustas animas, æquiorem interpretationem postulabant.

Heb. XI. 10. 13. 14.

Ibid. 26.

Sess. VI. *cap.* 11.

AR-

ARTICULUS III.

De his D. Cameracensis verba.

260. D. autem Cameracensis hæc verba sunt: *ut ut explicerentur hæc salutis desideria* (ex Chrysostomo & Ambrosio repetita) *imperfecta a Patribus habentur, quia ea perfectis animabus nec imperant nec suadent.* En clare desideria salutis generatim & quocumque modo sumantur habita imperfecta a Patribus; perfectis nec imperari nec etiam suaderi. Ergo sunt indifferentia; qui est ipsissimus error, quem nunc auctor deprecatur & a se amoliri tentat: at nunc illum perspicuis verbis nequidem palliatum aut coloratum tradit: adeo hæc hærent pectori, & facile erumpunt.

Resp. ad Summa, p. 54.

261. Neque vero dicat præsul, se hic desideria salutis intelligere ea quæ ipse vocaverit naturalia desideria visionis beatificæ aut æternæ felicitatis: neque enim horum desideriorum aut hic aut uspiam, aut Chrysostomus aut Ambrosius meminere. Antistes loquitur generatim de salutis desideriis ad imperfectas animas ablegandis, perfectis vero animabus nec imperandis, nec etiam suadendis: qui error est perspicuus & maximus.

ARTICULUS IV.

De loco B. Chrysostomi.

262. Chrysostomi, & Ambrosii auctoritatem nihil moramur, quorum clara sententia est. Nec enim Ca-

meracensis ignorare potuit Chrysostomi insignes locos in D. Parisiensis egregia Instructione laudatos, ex quibus clarum erat quos Joannes Chrysostomus mercenarios appellaret: non profecto eos qui pro omni mercede *Christum sequi, & adipisci volunt: nec cœlum, nec regnum cœlorum dilecto anteferunt. Quid enim mihi est in cœlo, aut a te quid volui super terram? hoc est, neque superioris, neque inferioris cujusquam boni cupido me tenet, sed tui solius: hic est amor, hæc amicitia*. Reliqua vide ejusdem virtutis. Hic ostendisse sufficiat, non omni mercede fieri mercenarios, & infirmos; sed quamdam esse mercedem, cujus studio amantes, & amici sumus. Hæc tacere, & patrum dictis abuti, ut plebi imperitæ merces, adeoque spes, sanctorum auctoritate vilescat, & ab imbecillitatem animi referatur, non est theologicæ sinceritatis.

p. 45.

Chrysost. Hom. 5. in ep. ad Rom. sub finem.

ARTICULUS V.

Expenditur s. Ambrosius.

263. Quam autem confusa sit, & vaga mercedis idea, quam D. Cameracensis informavit, docet Ambrosii locus, quem citat. *Propositum piæ mentis*, inquit, *mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam. Angustæ mentes invitentur promissis; erigantur speratis mercedibus*. Vides indefinite & universim de mercede, immo de mercedibus dictum. Cui etiam addit Ambrosius, agi de *aliqua mercedis humanæ retributione*. Cum ergo merces non unius sit generis, non potest apud Patres

Resp. ad Summa, p. 54.

Amb. lib. 1. de Abrah. cap. 8. n. 47.

uno.

uno modo sumi mercedis mentio, sed ex cujusque rationibus æstimanda. Quis enim angustæ mentis esse dixerit, divinis bonis, Deoque qui sit summum ipse præmium incitari? non sane Ambrosius, cujus hæc verba sunt: *Etsi bona est virtutum amicitia & summi boni caritas, nihil aliud quærit perfectus ille, nisi solum & præclarum bonum; unde & unam petiit a Domino &c. neque vero eum ut angustum, inopemque fastidias: abundat enim ad beatitudinem, & possessionem boni, & ideo nihil aliud desiderat:* eo quod *omnia habeat*, ut addit idem Ambrosius, *in Deo* scilicet universali bono.

De Isaac sive de beata vita, lib. 1. cap. 7. n. 10.

264. Præclare ergo Ambrosius cum Chrysostomo convenit, non unam mercedis esse rationem: esse quamdam mercedem quam caritas cupiat; quam perfecti ambiant. Ea autem est secundum Ambrosium & Chrysostomum, quam David postulavit his verbis: *unam petii a Domino, hanc requiram; ut videam voluptatem Domini &c.* quæ verba Davidis ab utrisque illis patribus prolata vidimus. Est autem illa perfectorum, non infirmorum merces: nec illa profecto est quæ *angustam* facit animam, non enim *angustum aut inops*, Ambrosio teste, illud bonum quo tendit, cum omnia capiat. Ergo animam nedum angustam faciat, facit capacissimam: quare ab eo desiderio sub Ambrosii nomine arcere perfectos, aperta calumnia est.

ARTICULUS VI.

Abrahami merces secundum Ambrosium.

265. Ut autem D. Camerancensi de s. Ambrosio spem omnem adimamus, redeamus ad locum ab eo prolatum ex libro 2. de Abraham cap. 8. Eo vero loco Ambrosius id notat, ante illam celebrem victoriam de quinque regibus reportatam, nihil esse ei de mercede promissum: verum post rem gestam, & pugnæ eventum, hæc a Deo dicta: *Ego protegam te: merces tua multa erit:* nempe, *inquit*, *spondendæ mercedis locus tunc erat. Minus enim mirabile faceret, si secutus promissum, hostem esset adorsus.* Ac paulo post: *bona mens est, quæ sine responsi cælestis syngrapha certamen arripuit.* Quod quidem intellectum de particularibus gestis, quale istud fuit, verum esse potest, nobiliusque interdum videtur & grandius, incertum eventus & præmii certasse cum regibus, quam promissi peculiaris pignore. At illud trahere universim ad vitæ Christianæ rationem, non ipse Ambrosius sinat, cujus hæc verba jam vidimus: *summum enim virtuti incentivum est ipsa beatitudo.* Quin ipsum Abrahamum tantum virum, tamque perfectum, quippe *quem votis suis philosophia æquare non potuit*, ubique pollicitatione mercedis illicitum Ambrosius non tacet: non tacet ipsa scriptura, quæ Abrahamum memorat dixisse ad Dominum: *Domine quid mihi dabis?* usque adeo præclarum est, nec angustæ & imbecillæ mentis, a Deo desiderare bona,

Gen. XV. 1. lib. 2. de Ab. 8.

Amb. in Ps 1. n. 1. Amb. lib. 1. de Abr. cap. 2.

.V.

na, modo digna petas, &, ut ait Nazianzenus, a magno magna.

ARTICULUS VII.

Conclusio ex dictis.

266. Lectori jam æstimandum relinquimus, an theologo eoque Episcopo dignum sit, afferre patrum locos, quibus Christiani inducantur, ut desideria salutis habeant inter indifferentia, *quæ non imperentur, ac ne quidem suadeantur*. Nihil enim de salute a patribus dictum, ex ipsa lectione constitit: de mercede quidem actum; sed explicare oportebat, generatim actum esse: cæterum aliquam mercedem dari, quæ perfectis quoque desideratissima haberetur; alioqui plebs fallitur, & patrum doctrina in errorem inducitur.

QUÆSTIO XV.

De amore naturali sui, quem auctor inducit.

ARTICULUS PRIMUS.

Hujus definitio & usus.

267. Quem nunc affectum sui naturalem præsul ut totius systematis enodationem inducit, ab ipso definitur: *amor naturalis & deliberatus nostri; imperfectus quidem, nec tamen peccatum, neque vitiosus actu, cum per se nec sit bonus, nec malus.*

Inst. past. p. n. 16.

268. Is amor, in prima epistola excusa ad me

Lett. 1. a M. de M. p. 31. Ibid. 32.

scripta, *est inhæsio naturalis donis promissis: amor naturalis, & deliberatus formalis* illius æternæ, qua Deum intuemur, eoque perfruimur. Ergo illo amore licet naturali Deum ipsum, ac Dei promissa diligimus.

p. 40.

269. Usus vero is est quem sæpe explicuimus: sed ne supersit ullus dubitationi locus, in eadem epistola auctor exponit his verbis: *si commodum proprium pro salute sumerem, in quacumque pagina, immo in quacumque linea delirarem: quocumque momento defendere oporteret spem sine spe; summam beatitudinem cum ejus desperatione conjunctam: &c.* His autem se exsolvit, constituendo proprium commodum in illo amore naturali, ac deliberato Dei, atque sui; ergo hujus amoris usus in eo est, ut totum librum expediat: ac si eum amore cassum ostendimus, remanebit liber, auctore consentiente, delirus, ineruditus, nulla sui parte sibi congruus.

ARTICULUS II.

An probatio ejus amoris in sancto Thoma & Estio valeat.

270. Si quid ergo ad auctoris systema propugnandum invicti roboris esse oportet, est profecto ille amor fundamenti loco positus. Atqui constat nihil illo fundamento esse debilius, quippe tota probatio loco sancti Thomæ & Estii nititur, qui nihil de eo dicunt.

Inst. past. p. 10.

271. Et sancti quidem Thomæ ab auctore verba prolata hæc sunt: *amor sui tripliciter se potest habere*

2. 2. q. 19. art. 6. in c.

here ad caritatem. Ac paulo post: *tertio modo a caritate quidem distinguitur, sed caritati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni; ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem: sicut etiam ad proximum potest esse aliqua specialis dilectio præter dilectionem caritatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur amore consanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad caritatem*. Hactenus auctor sanctum Thomam citat.

272. Ex Estio vero hæc sunt, quæ ad rem faciant: *timorem gehennæ & opus ex eo subsecutum, licet ex amore justitiæ non procedant, sed ex amore vitæ temporalis*, (*non esse peccatum*) *nulla alioqui circumstantia actum depravante: procedit enim* (*ille timor*), *inquit, ex amore quo naturaliter sibi quisque vult bene, & in genere felicitatem appetit*. En totum tanti systematis fundamentum.

Est. in 3. d. 14. §. 7.

273. Sed profecto nihil est. Ut enim ab Estio ducamus exordium; agit ille de amore *naturali* quidem, sed non deliberato, quo quisque *sibi bene vult, & in genere felicitatem appetit*. Atqui ille amor non est deliberatus, nemo enim deliberat an beatus esse velit: ergo amor ille nihil ad rem pertinet: & jam subtracto uno ex duobus locis fundamenti loco positis, ædificium claudicat.

274. Nec magis ad rem confert s. Thomæ locus: cum nec verbum ullum habeat de *amore naturali beatitudinis formalis*, & æternæ a Deo promissæ, de quo loquitur auctor. Contra s. Thomas de amore loquitur, quo quis diligit seipsum *secundum rationem*

proprii boni, *ut etiam diligit proximum ratione consanguinitatis*, *vel alicujus alterius conditionis humanæ*: non æternæ felicitatis naturaliter appetitæ.

275. Sed neque sanctus Thomas, neque Estius hunc amorem inducunt, ut in eo sive remanente, sive subtracto, perfectorum ab imperfectis discrimen constet. Hoc autem unum est, quod ab auctore spectatur. Ergo amor ille naturalis deliberatus quo utitur, nusquam est in Estio, nusquam in s. Thoma.

ARTICULUS III.

Dionysii Cartusiani locus.

Pag. sans chif. sev. es.

276. Instructio Pastoralis in progressu sermonis Dionysium Cartusianum laudat *de amore naturali* loquentem, sed de eo *amore naturali*, *qui proveniat ex amore beatitudinis*: qui amor proinde non est deliberatus, & quo nec perfecti nec imperfecti carent. Nihil ergo ad rem facit amor ille naturalis quem hi doctores memorant, nullusque eorum est qui non longissime ab auctoris mente distet.

ARTICULUS IV.

Loci sancti Bonaventuræ de affectu naturali.

In 3. d. 26. art. 1. q. 1. ad 5.

277. De affectu naturali citat auctor tres locos sancti Bonaventuræ: primum: *unde simpliciter dicendum est*, *quod expectatio boni æterni non est mercenaria*, *nec minuit meritum*, *nec facit ad imperfectionem caritatis vel meriti*, *nisi inquantum mens hominis multum affectuose & intense aspicit*

ad

ad commodum proprii boni: multi autem sunt qui beatitudinem expectant, & tamen parum de se, & multum de Deo curant. Hunc excessum ardoris & adhærentiæ ad seipsum, ad desideria naturalia refert auctor: ego autem non ad naturalia, quæ ipso teste innocua sint, sed ad vitiosa & prava, quibus quis de se ipso plusquam Deo cogitat, ejusque gloriæ parum studet; quod in vitio est. Negat autem Bonaventura hoc provenire ex expectatione mercedis, quia *multi sunt qui beatitudinem expectant, & tamen parum de se & multum de Deo curant*, dum alacres & erecti vix unquam in se sistunt; sed etsi curam sui gerant, eam tamen in Dei honorem transferunt.

4. Lett. a M. de P. p. 41. Lett. 1. a M. de M. p. 42.

278. Rursus Bonaventura de affectu naturali loquitur, cum eos commemorat, qui mercedis æternæ desiderium dicebant naturæ esse, non gratiæ; quam sententiam dudum exoletam, immo & hæreticam esse monuimus: (*n.* 65. 68.) quare nec iste textus ad hunc locum pertinet.

Ibid. dist. 27. art. 1. q. 2. sup. q. 1. art. 6. n. 63. 65.

279. Tertium s. Bonaventuræ locum citat auctor *ex compendio theologicæ veritatis* q. 24. quem locum si legisset, primo, credo, intuitu vidisset, nec profecto tacuisset, hoc opusculum esse tantum s. Bonaventuræ *adscriptum*: deinde nec per quæstiones, sed per libros septem, & librorum capita distributum. Libro autem quinto cap. 24. hæc habentur verba, quæ præsul citat de amore naturali, quem auctor ille quisquis est, *nec laudabilem esse nec vituperabilem dicit*: sed non ipse sibi constat; subdit enim amore illo *secundum concupiscentiam diligi Deum*, *quia*

Lett. 4. p. 42.

De comp. theol. T. 7. lib. 5. c. 24. p. 760.

quia necessitati nostræ subvenit: quo amore non diligitur res propter se, sed propter usum ejus: unde hoc modo plus diligit homo seipsum dilectione naturali, quam Deum. Quem amorem falsus Bonaventura, cum nec laudabilem, nec vituperabilem dicit, fallitur. Itaque nec is locus ad amorem manifeste vituperabilem pertinens, quidquam omnino facit ad amorem naturalem, qui præsuli est innocuus; ergo ineruditum opus merito contemnendum, quippe quod Bonaventuram nec sensu nec stylo refert; cujus generis opuscula in hoc septimo tomo ad calcem cum isto congesta sunt.

ARTICULUS V.

Ex his contra librum absoluta conclusio.

280. Multos quidem alios locos affert auctoris Instructio pastoralis pro amore naturali, sed qui hujus amoris nec mentionem faciunt: agit enim conjecturis, & consecutionibus, ullo unquam verbulo de eodem amore, ut demonstravimus. Unde extat argumentum ni fallor invictum. Pro naturali amore citantur multi loci in quibus hujus nulla mentio est: qui autem eum nominaverint auctori non congruunt, ut mox vidimus, quod postquam constitit, ac nullos locos esse claruit, quibus illa unica auctoris enodatio niteretur, jam demonstratum est, librum, qui non alio fundamento staret, non modo eversum funditus, verum ex ipso auctore (sup. n. 259.) falsum, inconditum, a se dissonum esse, nec sustineri posse.

Préf. sur l'Inst. past.

AR-

ARTICULUS VI.

Quod ille amor sit inutilis ex confesso.

281. Ac revera inutilem esse ex ipsa auctoris concessione constitit: quem locum de inutilitate amoris naturalis ex ipso auctore tractavimus libello cui titulus: *Mystici in tuto*, re nisi valde fallimur ad evidentiam ducta (n. 187. 188.) quo nunc brevitatis gratia lectorem remittimus.

ARTICULUS VII.

De commodo proprio æterno.

282. Ibidem commemoravimus commodum *proprium æternum*, & *in æternum* penitus abdicatum, cui loco demonstratum affectus naturalis solutionem convenire non posse: (ibid. n. 185. 186.) qua de re videnda est præfatio Gallica in Instructionem pastoralem. (p. XIII. & seqq.)

ARTICULUS VIII.

Aliud argumentum contra amorem naturalem.

283. Huc accedat istud valde notabile, ac decretorium; si de amore illo Dei naturali, innocuo ac deliberato, in primo suo libello cogitaret auctor, hujus definitionem attulisset ab ipso libri exordio, cum etiam amorem Dei Judaicum, quo diligitur Deus propter bona ab ipso distincta, ac propter rorem cœli, ac pinguedinem terræ, definiendum putarit, quem

Max. des SS. p. 1. p. 14.

quem fatetur libro esse inutilem: quanto magis commemorasset amorem naturalem Dei, & sui deliberatum & innocuum, quo totius libelli rationem contineri nunc velit? non autem definivit: quinque amores definivit: 1. Judaicum ex uno commodo temporali, qui est carnalis & vitiosus, pureque servilis. 2. Sacrilegum & impium, quo Deus diligitur tantum ut instrumentum felicitatis nostræ. 3. Amorem spei, christianæ scilicet, non modo innocuum, sed etiam per se se bonum & ex Dei gratia. 4. Amorem caritatis, meritorium & justificantem. 5. Amorem purum sive perfectæ caritatis summa excellentia præditum. Sed ad nullum horum quinque amorum amor naturalis Dei, & sui referri potest, cum omnes isti amores vel sint vitiosi, vel meritorii: amor autem naturalis sit quidem deliberatus, sed tamen innocuus, ac per se nec bonus nec malus. Ergo ille amor naturalis, si auctori credimus, fundamenti loco futurus, ab ipso definitus non est, neque ulla ejus mentio est inter definitiones illas, quibus tota libri ratio constat.

Ibid. p. 2. 14. Ibid. p. 4. 14. Ibid. p. 4. 14.

284. Si dicas amorem naturalem contineri amore tertio, qui est spei, de quo auctor non videtur aperte pronuntiare utrum sit bonus vel malus: contra: 1. Non affertur ibi character proprius hujus amoris, qui est ut sit naturalis, deliberatus, innocuus; ergo non est ibidem intentus. Contra: 2. Si amor ille naturalis hic intelligi deberet; amor spei theologicæ, ac supernaturalis, ab auctore prætermissus esset. Non autem prætermitti debuit. Quod prætermissus esset, hinc patet, quod amor spei theologicæ

p. 4. 14.

non

non est naturalis, sed ex gratia; nec est indifferens, sed per se bonus. Ergo prætermissus est, si tertius amor sit amor naturalis ille nec bonus nec malus. Contra: 3. Amor ille est amor ejus spei, quem s. Franciscus Salesius asserit esse virtutem theologicam; atqui amor ille supernaturalis est, & ex Dei gratia; amor ille per se bonus est, licet non sit justificans. Amor autem de quo dicimus non est supernaturalis, cum naturalis vocetur: non est per se bonus, sed indifferens: non ergo comprehensus sub tertio amore, qui spei dicitur.

Max. des SS. p. 5.

285. Hinc demonstratio: amor naturalis non est ullus eorum quinque amorum, qui ab initio libri traduntur: quod autem non traditur in illo initio, quo libri argumentum, fundamentumque ponitur, nullo loco in libro est: ergo amor naturalis penitus prætermissus est; cujus mentionem vel maxime fieri oportebat.

QUÆSTIO XVI.

Et ultima: de recapitulatione dictorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Admonitio de dicendis.

286. Hæc recapitulatio, recollecta hujus libelli summa, ad extremum ob oculos ponet omnes auctoris errores in hoc libello recensitos. Meminerit autem lector, nos hæc scribere, & typis tradere, inter ipsas quotidie prodeuntes D. Cameracensis elucubra-

cubra-

cubrationes, quibus aut errorem suum, aut hujus muniendi vias magis magisque prodit; quare cogimur hic subinde inserere quædam nova, occasione dictorum ejusdem auctoris, quæ posteaquam hæc excusa sunt, eduntur in lucem.

ARTICULUS II.

Summa doctrinæ a sancto Augustino traditæ de beatitudine.

287. Primum ergo recolligimus locos ex sancto Augustino allatos, quorum caput est id quod de necessario amore beatitudinis sanxit millies, ut est dictum (n. 4. prop. 2.): postea autem isti loci distinctius allegati prodierunt. (sup. n. 228. 229.)

288. Horum autem hæc summa est, *non posse indifferenter haberi beatitudinem: propter beatitudinem amari virtutes: non ergo futuram esse virtutem eam, quæ suadeat non amandam beatitudinem: quod si perficeret, nec ipsam virtutem amaremus, quam propter solam beatitudinem amamus.* (ibid.)

289. *Radix autem horum est, quod omnes homines esse beati velint, idque unum appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetunt: eaque sit perspectissima, examinatissima, eliquatissima omnium sententia ac voluntas quam Deus indidit: quo natura compellit.* (ibid.)

290. Ergo quicumque asserit cum præsule dari actum voluntatis, quo beatitudinem non velimus, contra Deum & contra naturam, est impius. (ibid.)

291.

291. Nec minus evangelio ac scripturæ repugnat quam naturæ. (n. 231. & seq.)

292. Quod autem D. Cameracensis recentissimo scripto ad meipsum edito, voluntatem consequendæ beatitudinis, sive ejus appetitum, quem schola vocat innatum, semel iterumque ac tertio cæcum appellat, facile confutatur ab Augustino dicente: *quia non potest quisquam appetere quod quale sit nescit, sequitur ut omnes beatam vitam sciant, quam velle se sciunt*: ergo vitæ beatæ appetitus non est cæcus, sed ex cognitione elicitus: (n. 299.) quod etiam invenimus apud s. Thomam. (sup. n. 9. & seq.)

1. *Lett. à M. de Meaux*, p. 15. 16. 4. *Lett.* p. 14. &c.

ARTICULUS III.

Pro certo supponitur, caritatem esse motum ad fruendum Deo.

293. Ejus rei gratia commemoravimus definitionem caritatis a sancto Augustino traditam; quod autem Cameracensis vocem fruitionis elusit, eaque intellexit excludi respectum ad nos, atque etiam beneficia ut sunt utilia nobis, id confutavimus ex Augustino: (n. 100. 110. 111. 112.) ubi sancto Augustino comites dedimus s. Gregorium Nazianzenum, Cassianum, ipsum etiam s. Thomam a præsule citatum, & sæpe rediturum. (n. 101. 102. 103.)

Resp. ad Summa, p. 32. 33. 34. *Ibid.* pag. 14.

ARTICULUS IV.

Purus amor haud minus ab Augustino agnitus.

294. *Id enim est puri amoris: nec seipso quisquam frui debet, quia nec seipsum debet propter seipsum dili-*

1. *de doct. ch.* c. 22.

diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tum ille est puro amore præditus qui se refert ad Deum, non Deum ad se: qui seipsum non propter seipsum diligit, sed propter Deum: qui totam dilectionem refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur; qui denique id sentit, a se debere amplius diligi Deum quam seipsum.

Ibid. c. 27.

295. Ille, inquam, amor est purus, qui nullo vel tenui rivulo diminutus, Deum anteponit sibi. Atqui ille amor haud minus in se comprehendit beatitudinis votum: ratione generali & communi omni actui: cum beatitudo ea sit *quam omnes unam appetunt, & propter quam unam appetunt quidquid appetunt:* (sup. n. 229.) ergo ut a nullo actu, ita nec ab illo amore, beatitudinis votum separari potest.

296. Specialiori ratione, nempe virtutis: caritas quæ est virtus respicit beatitudinem, cum hujus gratia virtutes omnes, adeoque ipsa caritas diligatur. (ibid. n. 228.)

297. Denique specialissima ratione: caritas appetit beatitudinem, cum sit virtus illa quæ fruitur Deo, in eoque fine acquiescit. (sup. n. 109.)

298. Porro Augustinus casti purique amoris laudator eximius, ad puritatem amoris præcipuo studio ferebatur, cujus etiam hoc dictum est: *Deum tanto habebimus præsentiorem, quanto amorem quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Ergo sectatorem beatitudinis in quovis actu, etiam puri amoris studiosum fuisse constat.

Epist. 11. ad Maced.

AR-

ARTICULUS V.

De Magistro & de sancto Thoma.

299. Augustino subjungimus ejus discipulum, immo vero exscriptorem Magistrum sententiarum, eumque sequentes omnes Magistri interpretes in 1. dist. 1. (n.8.)

300. Ex sancto vero Thoma hæc collegimus: finem ultimum vitæ humanæ esse beatitudinem, propter quam homines omnia velint, idque certissimi principii in moralibus loco esse: (n. 8.) id angelicæ haud minus quam humanæ naturæ convenire, atque adeo intellectuali omni creaturæ: ex hac voluntate beatitudinis causari omnes alias voluntates: (n. 9. 10.) ex quo fit, ut angelus & homo naturaliter appetant suum bonum, & suam perfectionem: (11.) ex hoc immobili deduci voluntatis motus: (n. 13.) motum autem sive tendentiam ad beatitudinem, ita esse innatum, ut tamen ex cognitione sit elicitus: (n. 9. & seq. 29. & seq.) & hanc esse naturam voluntatis humanæ, ut quemadmodum omnis conclusio ex rationibus primisque principiis, ita omnis deliberata voluntas ex illa voluntate innata ejusque virtute oriatur. (n. 12. 13.)

301. Horum autem omnium radicem esse, quod Deus beatus hoc beatitudinis votum cuicumque naturæ ad imaginem suam factæ indiderit; (n. 14.) ulteriorem autem intimam profundissimamque radicem esse Dei bonitatem, necessaria atque essentiali & transcendentali relatione respicientem ad nos. (sup. q. 13. art. 1. 2. 3.)

302. Hinc conficitur, ab auctore sub meo nomine vapulasse sanctum Thomam, cum scilicet reprehendor dicens, *nisi Deus esset totum hominis bonum, non eidem fore diligendi rationem?* quæ verba a præsule graviter reprehensa, non mea sunt, sed sancti Thomæ exscripta fideliter. (n. 22. & seq.)

303. Ex his autem intulimus secundum sanctum doctorem, ipsam caritatem super communicatione beatitudinis esse fundatam: (n. 38. 40.) caritatem in Deum tendere, ut est objectum, principium, causa beatitudinis: (n. 36. 39. 40. 41.) ut est finis ultimus ad quem & per se tendat caritas, & cæteras virtutes dirigat: (n. 41. 42.) denique Dei fruitionem esse finem ad quem ordinatur homo per caritatem. Ex quibus fit, ut nullus actus rationalis sine appetitu beatitudinis, & nullus actus caritatis sine appetitu fruitionis esse possit: unde etiam sanctus doctor definitionem caritatis ab Augustino traditam adoptat ut suam. (sup. q. 6. art. 2. n. 110.)

304. De spei & caritatis differentia, deque diversa utriusque virtutis ad fruitionem tendendi ratione, sancti doctoris sententia explicatur, & inde deducta objecta solvuntur. (n. 121. 122. 129. 130.)

ARTICULUS VI.

De s. Bonaventura.

305. Quæ s. Bonaventura non docuit, hæc sunt. Ac primum, post sanctum Augustinum ac Magistrum, de fruendo & utendo: Deum solum seipso frui nusquam indigentem: nostrum autem tam usum, quam

fru-

fructum esse ex indigentia: (n. 73.) eum a quo quæritur Deus ut merces ideo non uti Deo, quia illum non refert ad aliud: (n. 74.) habere ergo puram & veram caritatem: Deo fruendum ut eo qui nos faciat beatos, *quia in beatitudine est recta fruitio.* (n. 75.) Item Deo fruendum esse, eo quod *sit nostra beatitudo, & quod ipse solus perfecte finit & delectat ipsum animum propter se, & super omnia,* ibid. qui est finis finiens atque consummans, hoc est finis ultimus: ex quo tota ratio caritatis instruitur. (n. 76.)

306. Hinc colligit sanctus ille doctor, a quocumque justo amore caritatis Deum plus diligi quam seipsum, eo quod diligatur, *dilectione fruitionis* propter se & super omnia: non *dilectione usus*, & propter aliud: (n. 71.) quæ dilectio fruitionis sit ipsa beatitudo, & finis ultimus, ut dictum est.

307. Hæc autem confirmantur, quia Deus *magis sit cuique rei intimus, quam ipsa sibi*; quare ex amore caritatis anima *magis tendit in Deum quam in se, quia melior est ei Deus quam ipsa sibi*: (n. 77.) en Deus a caritate quæsitus etiam ut est nobis optimus.

ARTICULUS VII.

Aliud ex eodem s. Bonaventura: & de amore sui per caritatem.

308. Luculentissimus autem locus adversus D. Cameracensem est ille quo utitur, sed trunco. Refert enim id tantum, quod *caritas velit bonum Deo,*

cum vult eum esse summum bonum: omittit autem quod eadem caritas velit illud bonum & proximo & sibi, nempe *ut illud babeat per gratiam & gloriam:* (n. 70.) hic autem fatetur præsul, agi de vera & proprie dicta caritate: ergo necesse est fateatur, vera & proprie dicta caritate quemque velle habere Deum per gratiam & gloriam. (n. 71.)

ARTICULUS VIII.

De eodem.

309. Huc accedit, quod idem sanctus Bonaventura interpretans illud sancti Bernardi, quod caritas *non curet præmium:* de creato præmio fatetur: de increato negat: quia maxima *caritas maxime desiderat babere Deum:* (n. 63. 69.) agit autem sanctus, non de homine habente caritatem, sed de ipso motu caritatis: (n. 65. 66.) unde discrimen inter timorem pœnæ, & mercedis desiderium, quod pœna non sit Deus, nec aliquid Dei: merces autem & beatitudo summa sit ipse Deus: (n. 67.) propterea diligendus motu caritatis, ut dictum est, (sup. art. 5. & 6.).

310. Agi autem hic de caritate proprie dicta, prout contradistinguitur a fide & a spe, easque informat, ex sancti Bonaventuræ verbis, clare habes probatum. (n. 69.)

AR-

ARTICULUS IX.

Corollarium ex ss. Thoma, & Bonaventura de Paulo desiderante Christum.

311. Hujus ergo doctrinæ præclarum est corollarium, nempe ex ss. Thomæ & Bonaventuræ conjunctis auctoritatibus; locum illum Pauli, dissolvi desiderantis, & esse cum Christo, esse verum motum veræ ac genuinæ caritatis, eorumque doctorum summum inter se esse concentum, & mihi cum ipsis.

ARTICULUS X.

De Scoto.

312. Scotus is est qui maxime præsuli favere videatur, defixa caritate in Deo secundum se, & circumscripto studio *propriæ commoditatis* ab ejusdem caritatis notione: reprehenso etiam sancto Thoma, qui caritatem in beatitudinis communicatione fundabat: (n. 82. 85.) & tamen hoc restringit ad primarium caritatis objectum: admittit autem secundarias objectivas rationes, quibus valet ratio relativa: nempe amantis & redamantis Dei, *communicando* se nobis, & *disponendo nos ad beatitudinem*: in quo sit *specialis* quædam ratio amabilitatis, provocans ad amandum, & in ipsum caritatis actum influens. (eod. n. 82.)

313. Hæc autem secundaria & posterioris generis amabilitas reducitur ad ipsam excellentiam Dei: eo quod non esset perfectissimus nisi redamaret;

atque hinc fieri amicitiam, immo superamicitiam, motivo creantis, ac beatificantis Dei, una cum summa rei honestate conjuncto, ab eoque inseparabili. (n. 84. 85. 86. 88. 89.)

314. Ex his conciliatio sancti Thomæ cum Scoto, una rei summa, licet non uno modo explicata, (n. 84. 85. 86. 87.)

ARTICULUS XI.

Praxis ex dictis: consensus mysticorum.

315. Summa conciliationis est: etsi caritas hoc habet speciale, quod primarium, adeoque specificum ejus objectum sit absolutum ab omni re ad extra, adeoque ab ipsa beatitudine; tamen ex secundario motivo ea praxis inducitur, ut utraque motiva conjungantur: (n. 87. 89.) fiatque amicitia, hoc est amor mutuus in quo consistit caritas: in quam praxim abeunt mystici quoque cum scholis etiam adversariis, Thomistica nimirum & Scotistica. (n. 90. 91. 128.)

ARTICULUS XII.

Estius, Silvius, Suarez: ex his conclusio.

316. Quamquam non censui adhibendos multos scholasticos ad probandam rem facilem & claram, de qua nulla unquam fuit vera controversia, tamen adduximus Estium, Silvium; (n. 15. & seq.) quibus etiam adjunximus Suarezium docentem, actum amoris gratitudinis esse elicitum ex ipsa caritate, manifeste ducto motivo ex respectu ad nos. (n. 127.)

317.

317. Atque ex his certa est nostra conclusio sæpe repetita, sæpe repetenda, scholam ordinasse motiva caritatis, non autem negasse, aut separasse.

ARTICULUS XIII.

Falso imputata nobis circa clausulam: nullo respectu ad nos.

318. De illa clausula tria demonstravimus: primum, circa eam nobis imputari falsa: secundo, sententiam præsulis ab eo quoque infractam: tertio, multis argumentis probari non alium ejus vigere sensum, præter eum quem diximus.

319. De falso imputatis q. 8. egimus: sunt autem ejusmodi: 1. quod sententiam nostræ adversantem a tota fere schola tradi confessi sumus, quod numquam fecimus: (n. 133.) 2. quod adversemur scholæ, neque ullum agnoscamus motivum caritatis præter ipsam beatitudinem; quod est falsissimum, & calumniosissimum: (ex n. 135.) 3. quod contritionis actum ex motivo divinæ perfectionis improbemus: aperta calumnia: (ex n. 138. 139. 140.) 4. quod formulam contritionis in catechismi, ac maxime ex catechismo Romano editam improbemus: item calumniosissimum. (n. 143. 144.)

320. Ex quo patet, nos non nisi per apertam calumniam a schola dissociari potuisse; cum e contra, sanctum Thomam, sanctum Bonaventuram, Scotum, aliosque scholæ principes; ad hæc, Estium, Silvium Suarezium sequamur duces; quorum testimoniis sæpe prolatis nullum responsum hactenus datum est.

ARTICULUS XIV.

De eadem clausula, nullo respectu ad nos, concessa ab auctore proferuntur: primum concessum de amore unitivo.

321. Primum concessum est, naturam amoris esse essentialiter unitivam, adeoque respectum ad nos ab amore caritatis non posse distrahi. (n. 48. 95.)

ARTICULUS XV.

Secundum concessum de Deo ut benefico: auctoris contradictiones.

322. Secundum concessum: amorem Dei ut benevoli, benefici, & beatifici pertinere per sese ad caritatem: (n. 45. 96.) cum tamen ea attributa per suum connotatum habeant inseparabilem relationem ad nos; (ex n. 4. prop. 16.) hujus autem concessionis tanta vis, ut ea sola quæstio finita esset; sed aperte variat auctor, totamque rem ad minuta deducit. (ex n. 98. 99.) Fictus autem Lovaniensis negat, Deum beneficum esse caritatis objectum: (ex n. 108.) & ipse Cameracensis suo nomine, ejus rei gratia, meipsum recentissime reprehendit.

a. Lettre à M. de Meaux, p. 13.

ARTICULUS XVI.

Tertium concessum, de amore sui, & de necessario appetitu beatitudinis.

323. Tertio concedit auctor, *necessitatem esse indeclinabilem, ut nos ipsos semper diligamus:* ergo in

in omni actu: (n. 27.) *neque fieri posse ut nos diligamus, nisi nobis optemus supremum illud bonum, quod est unum necessarium*. (ibid.)

324. Eam concessionem firmat illa sententia: quod supponendum sit cum Augustino, *indeclinabile pondus continuaque impulsio, sive tendentia in beatitudinem, idest in fruitionem Dei*: (n. 28.) quo loco has duas voces notavimus, *continua*, *indeclinabilis*.

325. Ibidem cavillationes auctoris, ac præsertim quod appetitus ille sit cæcus elisimus: (n. 29. 30. & seqq.) quod idem efficacius inferimus ex s. Augustino. (n. 228.)

326. Huc etiam referendum est id quod de amore sui, tam ex ss. Augustino, Thoma, & Bonaventura, quam ex ipso auctore diximus. (n. 113. 114. 115. 116. &c.)

ARTICULUS XVII.

De amore Dei ut amici, & ut sponsi.

327. Quin amor Dei ut amici, & Christi ut sponsi, ad caritatem pertineat, dubitari non potest; cum amor amicitiæ sit ipsa caritas; amor vero sponsi ut sponsus est, sit sponsæ character proprius & innatus. Quod autem & amicus & sponsus voces relativæ sint, æque perspicuum. Idem de Salvatore, &c. Non posse ergo clausulam de *nullo respectu* aliter intelligi quam diximus, ex ipsa terminorum notione demonstratum est: (n. 147. 148. 149.) quo etiam loco miras de sancto Salesio D. Cameracensis cavillationes attulimus. (n. 150. 151. 152.)

AR-

ARTICULUS XVIII.

De s. Bernardo: novus locus ab auctore productus & truncatus.

328. De sancto Bernardo singularem quæstionem instituimus decimam, (n. 155.) cujus hæc summa est; propter se Deum diligi, sive pro suo merito, sive pro nostro commodo diligatur, eo quod præmium nostrum sit ipse qui diligitur: pro merito autem suo diligi ex eo quod multum meruerit de nobis, prior nos immerentes diligens: (n. 156. 157. & seqq.) quo patet duas diligendi causas, ad quas reliquas revocat, valere per respectum ad nos; quod erat probandum nobis.

4. Lett. a M de Meaux, p. 18. *Serm. de aff. an. de div. 8.*

329. Mellifluï doctoris novum præsul profert locum quarta Epistola ad nos, ex sermone de diversis affectionibus animæ: qui sermo totus adversatur præsuli. Citat autem hos locos de anima validiore, quæ ætatem infantilem & novitiorum statum prætergressa, *non lacte jam potatur, sed vescitur solido cibo: nec parvas parvulorum consolationes captans*, sed ipsam *beatam spem*. Hæc ille: quæ quid ad rem faciant non video. Auctor autem ex his elicit agnosci a Bernardo naturalem nostri amorem, qui rescindi in perfectis debeat: de quo tamen amore ne verbulum quidem occurrit, nisi forte existimet primas ineuntis devotionis suavitates esse naturales: quod & Bernardus improbat, cum hic eas tribuat gratiæ & dono Dei; & nos alibi refellimus, & ipse auctor rejicit.

Ibid.

Præf. pag. clxix.

330. Frustra autem præsul objicit hæc verba s. Ber-

Bernardi: *invenitur tamen alter gradus sublimior & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde, nihil aliud desiderat anima, nihil a Deo quærit, quam ipsum Deum*. Ergo quærit Deum, Deum habere vult; quod unum intendimus. Unde subdit: *crebro scilicet didicit experimento, quoniam bonus dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum: ita ut ex affectu cordis clamet, Quid mihi est in cœlo? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum!* quæ manifeste ad fruitionem spectant.

331. Sic Bernardus: præsul autem hæc verba, quibus ipse sanctus mentem suam maxime explicat, prætermittit: qua fide, nescio: profert vero sequentia: *neque enim tuum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima, quæ ejusmodi est*: quo loco iterum sistit auctor: hæc *autem omittit*: *sed tota pergit in Deum, unicumque ei & perfectum desiderium est, ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde & jugiter revelata facie, quoad potest cœlestis sponsi gloriam speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem. Ex hoc plane audire meretur: Tota pulcra es. Et audet ista loqui, Dilectus meus mihi, & ego illi; atque in ejusmodi felicissima & jucundissima confabulatione delectatur gloriosa cum sponso*.

332. Non piguit integra hæc verba transcribere, ut lector intelligeret, quam felicitatem, quam gloriam anima illa despiciat: nempe eam felicitatem, eam gloriam, *quæ non sit in sponso*: quam proinde ani-

anima non nisi *privato sui*, hoc est inordinato *amore desideret*.

Ibid. 333. Quod igitur hic fingit auctor *amorem naturalem etiam per respectum ad beatitudinem formalem*, somniat. Neque enim Bernardus hic quidquam loquitur de amore naturali, aut de beatitudine formali, quam anima refugiat; illa enim fruitio, illa caritas, illa felicissima confabulatio cum sponso, qua tantopere delectatur, nihil quidquam est aliud quam ipsa beatitudo formalis & creata, quam auctor in ore habet: neque enim aut illa claritas, aut illa confabulatio, increatum est aliquid: cum sit tamen id quod nos formaliter beat. Hoc autem neque ab anima refugi, neque ad *privatum sui amorem* trahi, aut Bernardus dicit, aut sinit ipsa veritas.

334. Cave dixeris istud de Deo, sive, ut Augustinus loquitur, de veritate, gaudium esse naturale, nisi eo sensu quo necessario & per se naturam delectat, exsatiat; neque tamen minus cœleste, & infusum est.

335. Cæterum, ut diximus, hic beati Bernardi locus totus noster est. Ostendit enim sponsam, hoc est animam perfectissimam, perfecta caritate quærere Deum, quo fruatur: cujus amore mutuo delectetur: cum quo suavissime colloquatur, maximo sane & inseparabili respectu ad animam.

ARTICULUS XIX.

De excluso ab auctore salutis desiderio.

336. Quæstione decima quarta, salutis desiderium ab ipso quinto gradu seu statu excludi demonstravimus:

mus : ss. Joannis Chrysostomi & Ambrosii perpendimus locos, atque ex his demonstravimus, pessime esse conclusum, ipsum salutis desiderium nec imperatum, nec suasum, & angusti animi esse, & ad imbecilles animas remittendum, quod auctor intendit. (n. 258.)

ARTICULUS XX.

De amore naturali : Alberti Magni auctoritas.

337. Quæstioni xv. ea de re institutæ tantum addimus quæ ex Domini Cameracensis recentibus scriptis collegimus. Reducit in palæstram Albertum Magnum in Instructione pastorali citatum ; ad stabiliendum *commodi* etiam *æterni* nomine, amorem naturalem. Miror autem, a præsule me compellari his vocibus: *ipse tu agnovisti in ejus auctoris verbis commodum æternum, quod in æternitate non supersit*. Hinc insultat his verbis : *quid de tua ratiocinatione credendum est, cum falsa illa sit ex te ipso, cum ad Albertum Magnum qui eadem voce usus est adhibetur?*

p. 61.

4. Lettr. a M. de Meaux, p. 11.

338. Mirum, inquam, sic agi, tanquam concesserim in Alberto magno aliud æternum esse commodum, quam salutis æternæ : atqui ego ne cogitavi quidem. Perfecti amoris nomine apud illum doctorem intellexi caritatem ; *quæ nullum commodum sive temporarium, sive æternum quæreret, ut in eo scilicet finem ultimum collocaret*. Hæc mea verba sunt, quæ auctor ad amoris naturalis significationem trahere frustra nititur.

Pref. ibid.

Alb. Mag. ibid.

339. Quando quidem vero præsul Albertum magnum

gnum adduxit, sciat illius sententiam nihil differre ab illa cæterorum doctorum, ac maxime sancti Thomæ, quo discipulo gloriatur. Æque enim felicitatem definit: *id quod est optimum; propter quod omnia alia operata sunt; propter felicitatem enim omnis fit operatio*. Nulla ergo est quæ non ad eum finem referatur; ac frustra quæritur actus humanus ab illo fine absolutus. Pergit: *summum bonum est beatitudo, hocque bonum voluntatis est objectum*: non ergo ulla voluntas est ab hoc bono absoluta. Quod quidem postea sic exponit: *bonum ipsum commune, cujus ratio in intellectu, est objectum voluntatis*. Rursus: *mens quia imago Dei est, beatitudinis est particeps*: quam proinde si abdicat, non vult esse imago Dei: denique sic describit naturam voluntatis, ut, quia est *appetitus intellectivus*; nedum cæco impetu feratur, *ad ipsam tendat rationem appetibilitatis absolute*, quæ ab intellectu apprehenditur; quæ ipsa doctrina est, quam a B. Augustino ductam B. Thomæ tradidit.

De appreh. part. 7. n. 8.

Ibid. p. 10. n. 16.

Ibid. n. 23.

Ibid. 24.

Ibid. p. 11. n. 4.

340. De præmio autem sic habet: *est gaudium de Deo quod præmium essentiale est: quod præmium in aperta Dei apprehensione, aut ad ipsum jucundissima conjunctione tamquam sponsum consistit, quæ beatitudo vocatur*.

Ibid. p. 10. n. 25.

Ibid. n. 13.

341. Quod ergo delicata *anima quasi abominatur per modum commodi, vel præmii amare Deum*, si ad extremum urgeas, beato auctori, quem laudas, aperte repugnaveris. Omnino comparate ista intelligenda sunt, nihilque aliud indicant, quam sponsam supra *commodum ac præmium* aliquid cogitare. Quin etiam

Parad. an cap. 1.

is

is qui diligit Deum, quia si bonus est, & propter hoc principaliter ut suam beatitudinem sibi communicet, (en *principaliter*, idest, ita ut in eo finem ultimum collocet) *naturalem & imperfectam caritatem habere convincitur*. Quæ verba etsi in speciem sibi faventia, referre auctor erubuit: satis enim intellexit *imperfectum* illud sonare inordinatum; nec caritatem Dei esse, sed sui, quæ in eo desiderio ut in fine ultimo acquiescat, ac secundarium objectum loco primarii, principalisque ponat.

342. Sane motiva secundaria beatus auctor non tacet in eodem paradiso animæ, ad litteram O. *Inductivum*, inquit, *veræ caritatis est agnitio Dei: nam in ipso materia totius dilectionis consistit*, scilicet *nobilitas, potentia, benignitas, providentia, &c.* Quæ sunt pleraque relativa ad nos. *Item*, inquit, *dilectio Dei ad nos æterna, immensa, non interpolata, & fidelissima inductiva est veræ caritatis*. En illa secundaria quæ inducant caritatem veram, & ad Deum secundo loco nos moveant, ipsa Dei gloria instar finis ultimi ac primarii collocata: quod cum omni schola plane congruit, ut vidimus.

Ibid. B.

ARTICULUS XXI.

De piis excessibus.

343. Quod pios excessus Sanctis tribui auctor crimini imputat, ex Chrysostomo atque ex ipso Paulo confutavimus. (n. 197. 201. 202.)

344. De amatoriis amentiis remisimus ad Bernardum, & alios. (mystici in tuto, n. 193.) Nunc juvat affer-

Serm. 71. in Cant. Ibid. serm. 7.

afferre locos in quibus mellifluus doctor sponsam negat sui, rationisve compotem: dicit ebriam amore. Alibi, saturam, eructantem &c. quippe ex cella vinaria prodeuntem: *totum quod rationis consilii judiciive videtur* oblitam. His subjungimus Guillelmum s. Theodorici Abbatem, Bernardo supparem, ejusque adhuc superstitis vitæ scriptorem sanctissimum, cujus hæc verba sunt: *audi sanctam insaniam: sive mente excedimus, Deo. Vis adhuc audire insaniam? sin autem dele me de libro vitæ. Vis aliam? ipsum audi Apostolum: optabam anathema esse*, &c. *Hæc ad Spiritus Sancti adventum apostolorum ebrietas: hæc insania, cum diceret ad eum Festus: insanis, Paule*, &c. Male ergo sibi auctor consulit, qui immodico studio reprehendendi nostra, sanctos etiam reprehendit.

Ibid. 7.

De nat. & dign. am. cap. 3.

344. Neque ideo Paulus, aliique ejusmodi amatores meriti exsortes, cum & illud ad meritum amoris spectet, quod ejus vis non nisi tanta hyperbole exprimi potuerit: quod sæpe dicendum est adversus auctorem assidue nobis hæc falsa imputantem.

ARTICULUS XXII.

Futiles quæstiones.

346. De pura natura, de animæ rationalis mortalitate, de felicitate neglecta a philosophis, deque aliis ejusmodi, futiles quæstiones ad involvendam rem introductas sæpe notavimus: (n. 206. 243.) non enim Paulus, non Moyses, non alii ad hæc animos retorquebant: agitur non de vana & præpostera imagina-

ginatione cujusvis alterius status, sed de *anathemate a Christo*, *de libro vitæ æternæ*, rebus stantibus ut sunt, a Deo per evangelium constitutæ. Porro beatitudinem & naturalibus & supernaturalibus votis appetendam, etiam in illis actibus, quibus eam ex impossibili abdicare videbantur, gerebant in animo: (207. 208.) alioquin nec habuissent caritatem, quæ est motus ad fruendum. (n. 109. & seq.)

ARTICULUS XXIII.

De primariis, & secundariis rationibus objectivis caritatis.

347. De illis tam in se consideratis, quam inter se comparatis, quid auctor sentiat, & quam ipsi adversentur doctores cæteri, sæpe quidem commemoravimus, præcipue vero (n. 92. 106.), quæ ad enodandam difficultatem omnem, & scholæ decreta explicanda & tutanda vel maxime pertinent: atque etiam ad ostendendam hujus controversiæ gravitatem: (n. 107. 108.) his autem positis & in unum brevitatis gratia recollectis, auctoris errores facile elucescent.

ARTICULUS XXIV.

Errores in hoc libello notati recensentur.

348. Non enim omnes, sed eos quos in hoc libello memoravimus, recensemus: sunt autem ejusmodi.

1. Error: non omnem actum rationalem fieri ex amore sive appetitu innato beatitudinis, tanquam finis *n. 7. 8. & seq. 18. 20. 21. 22. 228.*

nis ultimi: contra s. Augustinum expresse, & contra universam theologiam.

n. 9. & seq. 10. 11. 229.

II. Appetitum illum innatum esse cæcum: contra eumdem.

n. 20. 21. 207. 208.

III. Amputato motu ad fruendum Deo, vigere perfectissimam caritatem.

n. 100. 110. 111. 112. 115. & c. 203. 209.

IV. Non ergo valere definitionem caritatis ab eodem Augustino traditam, & a Magistro, a s. Thoma, & universa schola receptam.

n. 95. 111. 147. 148.

V. Ex eo quod amor caritatis sit penitus absolutus ab omni respectu ad nos, etiam quoad motiva secundaria, ac subordinata, minusque præcipua, sequitur contra scholam universam error gravissimus; quod amor caritatis non sit, ut omnis amor, essentialiter unitivus.

n. 147. 148. 155. 232. & seq.

VI. Et quod amor Dei ut amici, ut Domini, ut Dei nostri: Christi vero ut sponsi, ut Salvatoris, &c. caritatis non sit; quod est contra Evangelium, & consensum patrum & theologorum omnium.

n. 156. 157. & seq.

VII. Ex his everti a sancto Bernardo allatas duas causas diligendi Dei *propter se*, nempe: pro *merito suo*, pro *commodo nostro*.

n. 163. 169. 170. & seq. 175.

VIII. Amorem justificantem, qui ab auctore quarti gradus dicitur, etsi Deum sibi, rebusque omnibus, nulla excepta, anteponit, nec sibi felicitatem quærit, nisi in quantum subordinata est gloriæ Dei; tamen non esse amorem purum.

ibid. & 185.

IX. Dari amorem purum, qui quinti gradus dicitur, super quartum illum gradum, licet hic vim omnem amoris comprehendat.

n. 178. & seq.

X. Amorem illum purum, sive quinti gradus, pleris-

tisque sanctis animabus esse inaccessum, nec eis prædicandum.

XI. Amorem quarti gradus subordinari Dei gloriæ magis habitu quam actu, nec ad eum plerumque referri magis quam actum peccati venialis. n. 172. 173. 174. 175.

XII. Actum peccati venialis Deo habitu subordinatum esse. *Ibid.*

XIII. Quidquid non est habitu subordinatum Deo, esse peccatum mortale: ex quo sequitur, nullum esse veniale peccatum. *Ibid.*

XIV. Actum amoris elicitum ex suppositione impossibili, quod anima justa æternis suppliciis, rebus ut sunt, addicatur, in se absolute perfectionem esse, quam actum alioqui perfectissimum sine illis suppositionibus. n. 207. 216. 217.

XV. In iis actibus qui per suppositiones impossibiles fiunt, etsi non ipsam rem, tamen motiva reipsa separari. n. 261. 217.

XVI. In eo amore ita immolari salutem, ut beatitudinis ac salutis desiderium ab eo amputetur. n. 207. 217.

XVII. Securos non fuisse Moysen, & Paulum, quod non essent, ille delendus e libro vitæ, hic vero anathema futurus: maxima sanctorum contumelia, & in Deum blasphemia. n. 190. 194. & seq. 201. 215. 215.

XVIII. Præter illud salutis sacrificium conditionatum ex impossibili, a s. Joanne Chrysostomo, ejusque schola, & aliis quibusdam agnitum, dari aliud sacrificium absolutum, cujus nulla sit mentio apud illum, & cæteros patres, aut auctores. n. 197. 217.

XIX. Sacrificium illud absolutum consistere in eo quod casus impossibilis non modo possibilis, sed etiam actu realis æstimetur. n. 218.

Ibid. xx. Sacrificii ergo illius absoluti idem esse objectum atque conditionalis, nempe salutem æternam.

n. 250. 260. xxi. Spem mercedis, salutisque desiderium in perfectorum statu nec suasum nec imperatum, & ad imbecilles, angustasque animas remittendum.

Hæc igitur sunt, quæ ex hoc libello facile condemnentur. His adde alios errores copiose demonstratos (Mystici in tuto: & ibidem recollectos, n. 174. 175. 176.). Verum & hæc & alia bene multa, quibus se Quietismus erigere nititur, positis fundamentis, ac remotis obicibus, Deo dante, postea brevius, ac plenius enitescent.

QUIE-

QUIETISMUS REDIVIVUS.

ADMONITIO PRÆVIA

De Summa Quæstionis, ac de variis libri defensoribus.

1. Miror sic affectos esse quosdam, ut cum illustrissimi Cameracensis explicationes abjiciant, nihilo secius ejus librum mordicus tueantur, ipsique faveant plusquam ipse sibi. Et is quidem abjecta spe tuendi libri ut sonat, non modo versionem latinam apparavit eam, in quam multa nova intersereret; verum etiam ingenti studio Instructionem pastoralem adornavit, qua explicationem affectus naturalis, ac motivi novo modo sumti adeo necessariam judicaret, ut liber ipse collapsus abiret in ruinam, nisi hoc se adminiculo sustentaret. Quin etiam in quadam epistola pronuntiavit istud: hac interpretatione sublata, nulla sui parte constare posse librum, ac *de pagina ad paginam, immo de linea ad lineam scatere insaniis, sive amentiis*. Hæc ille: cui tamen, si Deo placet, novi defensores meliore via, quam qua ipse se purgat, consulendum putant.

1. Lit. à M. de Meaux, p. 40.

2. Nec immerito ejus explicationes abjiciunt: quippe quæ toto libro nulla vel levissima voce indicatæ, ac desperatis rebus præpostere, ac per vim intrusæ sint contra omnium lectorum sensum. Nemo

 enim

enim profecto affectum naturalem loco proprii commodi substitutum, erat suspicatus; nemo motivi nomine aliud intellexerat, quam consueto more objectum, aut finem extra positum, quo ad actus singulos moveremur. Per motivum autem intelligi non ejusmodi finem, sed ipsum impulsivum interius: tam nova & inaudita omnibus significatio est, ut nemini prorsus veniret in mentem. Neque quidquam aliud intelligere, neque in nostra Declaratione ponere poteramus, quam id quod intelligebant & sapiebant omnes; neque nos amorem naturalem, aliaque ejusmodi commentitia & a libro penitus aliena, nullique omnino cognita, divinare ac somniare oportebat.

3. Neque tamen hic ratiocinatione agere volumus, sed ipsa auctoritate gestorum: habemus enim præ manibus explicationem illustrissimo Carnotensi ab auctore, ac per hunc nobis traditam, non ita multo post editionem libri. Hac autem explicatione illustrimus Cameracensis per commodum quidem proprium, nihil aliud intelligebat quam ipsum *bonum nobis*, quod est objectum spei theologicæ; per motivum vero nihil aliud quam finem extra positum; nulla usquam aut amoris naturali, aut motivi interioris mentione: quod idem illustrissimus Carnotensis, data Epistola pastorali maxime theologica; ex ipso verborum tenore tam liquido ostendit, nullus ut dubio locus superesse possit.

Lett. past. pag. 58.

4. Grave quidem est nobis, grave Carnotensi, de Cameracensi aliud credere, quam id quod idem Cameracensis, Deo teste appellato, a se intellectum esse significat. Sed sive id oblivione, sive quacumque

Ibid. p. 89. 79. &c.

que

que alia ratione gestum, ipsa verba nos cogunt, vetantque aliud intelligere in Cameracensis libro, quam id quod & ipse data quoque explicatione prodidit, & omnes, etiam ejus acerrimi defensores, intelligendum arbitrentur.

5. Quod autem assidue purum amorem obtendunt, ac pulcherrimæ vocis splendore se capi profitentur, id quidem vanum est. Neque enim purum amorem eum qui vera caritas est illa justificans, inficiatur quisquam. Caritatem enim scimus eam quæ, teste apostolo, *non quærit quæ sua sunt*, atque ita ex Dei gloria ac perfectione conceptam, ut ad eum finem alii omnes animi sensus voluntatesque referantur. Hanc a Cameracensi quarto gradu collocatam, maxime collaudamus: improbamus autem tantum, amorem quinti gradus, unum puri amoris nomine celebratum, qui se spei auxilio juvari & excitari nolit. Non ergo de vero puro amore, quem schola omnis agnoscit, ulla nobis concertatio est: sed de amore fictitio, qui virtutes omnes theologicas supergressus ideo se purum vocitat, quod spei christianæ opem, ac motivum ipsum æternæ salutis abjiciat. Neque sustinemus amorem purum dici eum, qui divinam fruitionem, hoc est summum & immortalem ex Dei visione amorem pro fine non habeat, nec votis omnibus complectatur.

I. Cor. XIII. 5.

6. Sane Cameracensis ut ab imperfecta, nec ad liquidum pura caritate, ad perfectam & puram transeamus, vult amputari aliquid; nempe studium commodi, mercedis, beatitudinis. Hoc autem quod amputat, vel est illud studium, affectus ille naturalis,

commodi, mercedis, beatitudinis, quem tantis conatibus in Instructionem pastoralem invexit; vel est ipsa spes theologica, sive in spe theologica movendi, illiciendique animi vis.

7. Cameracensis autem studiosissimi defensores, non illam affectus naturalis explicationem admittunt: ergo admittant necesse est spei theologicæ moventis excidium illud, quod & nos criminamur, & ipse Cameracensis improbat: non ut leve quoddam facinus, sed ut impietatem, quam a nobis imputari sibi omnibus paginis queritur.

Inst. past. pag. 11. 23. 17. 49. &c.

8. Mira ergo libri sors, quem defensores ejus ea tantum ratione a se propugnari posse putant, quam ipse auctor una nobiscum rejicit ut impiam.

9. At enim, inquiunt egregii defensores, nos spem non omnino tollimus, sed etiam in ipso amore puro virtute contineri, eoque suppleri dicimus. Triste perfugium: cum Paulus fidem ac spem, reipsa, non tantum virtute manere ac distingui pronuntiaverit. *Nunc autem*, toto scilicet hujus vitæ decursu, atque adeo in perfectis quoque, *manent tria hæc*, enucleate, distincte, & per proprios actus, *fides*, *spes*, *caritas: major autem horum*, non sola sed major, *est caritas:* has animans, regens, sibique conjungens, & ad sese referens; non autem consumens, aut eorum actus premens.

II. Corint. XIII. 13.

10. Nec aliter Malavallus, Molinosus, Guyonia, spem illæsam prædicabant, quam quod puro amore illo uniformi ac permanente, virtute contineri, illoque adeo suppleri memorabant: quos nos alibi reprehendimus, nec ipse Cameracensis excusat, & in ipsis

Etats d'or. liv. III. n. 21. p. 203.

ipsis Issiacensibus articulis, fidei ac spei, aliarumque virtutum actus cum caritate conjunctos, sed tamen *distinctos* explicitosque subscripsimus. Qui ergo Cameracensi hanc excusationem subministrant, Malavallum, Molinosum, Guyoniam, infausta & damnata nomina, reducunt in ecclesiam. Art. 1. 2. 3. 11.

11. Alia argumentatio: ille actus spem supplens & virtute eminenterque continens, vel est actus caritatis, vel actus caritatis major: est enim ea virtus caritas, quæ omnibus aliis virtutibus *major est:* ea autem major esse nulla memoratur. Quin illa dilectio qua negat Dominus ullam esse majorem, non est aliud quam caritas. Ex eo autem quod omnibus virtutibus major sit, non sequitur ut suppleat reliquas, sed ut eas adjungat sibi, eis emineat, eas regat. Ergo supplementum illud spei fictitium est. Joh. XV. 13.

12. Si potest spes ejusve actus caritate suppleri, maxime ex eo quod dicat apostolus, *caritas omnia sperat*. Atqui eadem ratione dicit, *caritas omnia credit:* ergo tam fides quam spes caritate suppleri posset, quod nemo dixerit. I. Cor. XIII. 7.

13. Sane haud magis licet supplere spem quam fidem; fidem autem alio actu perfici, verum est: suppleri autem, falsum: nec minus impossibile est sine spe quam *sine fide placere Deo*, quod ait apostolus: cum eidem apostolo *fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Ergo sine spe, ejusque expressis actibus, æque ac sine fide ejusque actibus, anima fidelis esse non potest. Heb. XI. 6. Ibid. 1.

14. Tum ea caritas, quæ ex apostolo *omnia credit*, I. Corinth. XIII.

dit, *omnia sperat*, *omnia sustinet*, non est alia caritas, quam ea quæ est justis omnibus communis: si ergo ex eo loco concludi posset, spem ut caritate contentam ab ea quoque suppleri, id ad omnes status vitæ christianæ pertineret: nec tantum illum puri amoris statum qui sanctissimis quibusdam inaccessus esse fingitur. Non autem id pertinet ad omnem vitæ christianæ statum: alioquin ubique tam spei quam fidei eliderentur actus, quod est absurdissimum & erroneum.

15. En quam portentosam, & a scripturis alienam theologiam cogantur inducere, qui tuendum aut excusandum Cameracensem suscipiunt.

16. His igitur explosis, alii defensores prodeunt, quorum hæc excusatio, sive responsio est: nos quidem confitemur optandum, ut nunquam extitisset ac prodisset liber tot æquivocationibus scatens: cæterum posteaquam prodiit, nulla censura est dignus, qui scilicet ubi occurrerit aliqua prava propositio; alibi confestim aliam contradictoriam statuit: ita ut nullus sensus perspicuus ex libro eliquari possit: quare *prudentiali*, ut loquuntur, censura, non autem juridica affici potest.

17. Hæc excusatio libros fere omnes hæreticos æque a juridica censura liberaret. Ut enim omittam censuras non *prudentiales* illas, sed jurisdictionales, easque gravissimas, *periculosum in fide*, *inducens in hæresim*, aliasque ejusmodi, quas libro æquus omnis, licet benignissimus, interpres inussisset: quis Pelagio, eorumque asseclis non etiam ab hæresi pepercisset, si eorum, & assecIarum propositiones

con-

contradictorias attendisset? Vide de *homousio*, de *theotoco*, Semiarianorum ac Nestorianorum technas: vide Severianorum, Semieutychianorum de duabus naturis; vide Monothelitarum de duabus voluntatibus pugnantia deliria: vide apud Prosperum carmine de ingratis, immo etiam apud Augustinum, quibus artibus Pelagius lubricus anguis elapsus, ac vix unquam satis manibus comprehensus & constrictus evaderet. Audenter dixero: nullus error, nulla hæresis plane condemnabitur, si ex repugnantibus eorum duces liberentur, quibus eos magis gravari oportebat.

18. Ipse Molinosus quanta arte serpit? ipse Malavallus; ipsa Guyonia vix erroris, aut hæresis deprehendi possint, si repugnantiæ pro excusationibus habeantur. Vide quæ eam in rem diximus in opere de Statibus orationis, lib. 1. n. 28. & x. n. 1.

p. 14. 171. 174.

19. Ergo ut errantibus in fide omne præcluderetur effugium, ea semper regula viguit, ut quod esset per se hæreticum notaretur, insuper habitis excusationibus, contradictionibus, tergiversationibus: si qua ambiguitas, si qui nodi inter se ita implicati occurrerent, ut ex his eliquatus sensus vix expediri posset, non propterea dimitterentur intacti; sed ancipiti illo gladio, quod est verbum Dei, ab ore Christi prodeunte potius secarentur: atque etiam inter censuras errantium memoraretur illud a s. Leone XI. prolatum, ut quisquis erraverit, idem sui ipsius impugnator extiterit.

Epist. ad Imp. post conc. vi.

20. Eat ergo necesse est condemnatus liber, quo duce bonæ mentes in tenui & ambiguo veri falsique discrimine nimis laborarent: quo proinde non modo

Vid. Etats d'or. locis supra cit.

mu-

mulierculárum, sed etiam quarumvis imbecilliorum animarum, interdum & firmiorum capita læderentur: animi fatiscerent, aut in nubes avolarent, aut quod est pessimum, novæ perfectionis, atque exquisitissimæ sanctitatis specie in occultam superbiam agerentur.

21. Neque tamen verum est, inesse libro omnimodam & inextricabilem contradictionem, ac semper occurrere propositiones alias aliis oppositas, sive collisas. Ecce enim illa propositio de Christi perturbatione involuntaria, nihil apud auctorem habet excusationis: quin ipse eam plane abnegavit, aliisque imputatam voluit: quam tamen defensores ejus, ipso quoque invito, tueri memorantur. Nec pudet suasisse auctori, ut manifestum errorem, etiam ejuratum & abjectum, resorberet, ut fecit, & nos demonstravimus.

4. *Lett. a M. de Meaux*, p. 24. *Rep. a 4. Lett.* n. 20. p. 74.

22. Quid illa propositio perperam Augustino imputata? *Omne quod non provenit ex principio caritatis, ex cupiditate provenit ea, quæ omnium vitiorum est radix.* Quam propositionem ipse non aliter excusat auctor, quam attributa etiam Augustino ea caritate, quæ sit naturalis, non virtus theologica: atque ea cupiditate vitiorum radice quæ sit innocua: cujusmodi excusationes si valent, jam apud quosvis auctores etiam fallacissimos nihil erit inexpiabile.

Max. p. 7. *Inst. past.* p. 16. *ibid. pag.* 14.

23. Nec minus insolens est illa propositio de sacrilego amore sui, qui tamen ad justitiam, & ad conversionem, invita omni theologia, iterum ac tertio, correctione nulla, præparare dicatur.

Max. p. 17. 18, 20. 21.

24. Atqui hæc imperitius, inquies, sive mavis

incau-

incautius quam fallacius dixit? pessime: neque enim de rebus maximis, ac reconditissimis tanta confidentia dicere debuit, qui non a theologia satis amplum sibi præsidium comparasset.

25. Ac tametsi, ut in falso systemate, sunt multa apud auctorem quæ inter se pugnent, tantum abest ut omnia ejusmodi sint, ut contra certum sit, ipsam doctrinæ summam falsis, sed sibi consentaneis constare decretis sive principiis. Deducturus enim animas ad illam purgationem, qua salutem ipsam perfecto & absoluto sacrificio devoverent, in eoque sacrificio perfectionem christianam collocarent: jam inde ab initio ei purgationi, quam summam esse voluit, comparavit viam, inducto amore illo cujus in eo esset puritas, ut vel esset penitus exspers, vel saltem ab omni spe independens, nullo spei, nullo mercedis æternæ, nullo ipsius Dei potiundi motivo excitaretur: ex quo sit consequens salutis ut est salus indifferentia; nulla tanti beneficii ad amorem inflammandum habita ratione. Hinc etiam profluit *suæ reprobationis convictio invincibilis*, & illa *casus impossibilis ad salutem devovendam in realem & actualem ipsi animæ perfectæ visa & approbata conversio*: quæ si auctor obtinuerit, nihil jam prohibebit, quominus in desperationem eam, quæ summi, & absoluti sacrificii loco habeatur, prona sint omnia.

Max. p. 87. &c.

26. Neque vero obstabit illud, quod illa convictio *apparens*, *non intima vocitetur*: hoc enim ipsum est quo Molinosismi ratio constat, quod desperatio simul & invicta sit, nec tamen intima, sed tantum apparens:

Max. p. 87, 90.

parens: eodemque ritu ipsa infidelitas & quæcunque crimina atque flagitia, vero, licet actu perpetrata, tantum apparentia sint, internamque virtutem relinquant incolumem.

Max. p. 61. 27. Neque hujus rei omittitur radix, nempe *generale desiderium* non modo *cognitarum*, verum etiam *omnium latentium voluntatum Dei*; quibus ipsa prædestinationis, ac reprobationis decreta cum sint omnium occultissima continentur: in quo ipse præsul, & Guyoniæ gratificatur, & totum Molinosismum suis principiis aptum & connexum struit.

Relat. du Quiet. 28. De qua re dubitatio nulla superesse jam potest, posteaquam edita rerum relatione ex ipsius gestis, scriptisque contexta, exque ipsis literis ejus manu exaratis a nobis luce meridiana clarius demonstratum est, totam hanc causam, quæ tanto ambitu agitatur, inde esse profectam, quod a Guyonia sua tuenda abstinere nolens, ab amicis & coepiscopis discedere, & omnia perturbare maluit, quam ut amicam intimam, atque ex ipsa spiritualis vitæ ratione conjunctissimam, suo præsidio destitutam relinqueret.

29. Quo etiam coactus est, & Molinoso Guyoniæ conjuncto parcere, & a falsorum spiritualium censu damnatum ejus nomen eradere, & cum quietistis eam inire societatem, quam principiorum ac dogmatum declarat.

30. Hæc tamen principia, ne se ipsa proderent, quibusdam involucris occultari oportuit: unde multis in locis male consarcinata, imo vero dissuta, atque disrupta apparet oratio; sparsaque ambigua quæ vim apertioribus tollere videantur: quæ si excusationi

sint,

sint, librumque a censura immunem præbeant, jam ad illum occulta quietistarum factio quasi dato signo latenter confluet, aut inter vera, falsaque pendebit animus, totaque ecclesia fluctuabit.

31. Nec juvat auctorem, quod ab iis consequentiis abhorreat, quarum principia ac fundamenta posuit: neque prohibere quisquam potest, quin libro innocuo viso, & in auctoritatem recepto, ejus legitimæ, ac veræ consecutiones ab invitis quoque extorqueantur: cum præsertim non desint ipsis principiis congruæ voces: nempe *docilitates*, *humiliationes quævis*, *libertatis privationes*, *obsessiones etiam*, *ac possessiones ad vitam interiorem pertinentes*: *tentationes quoque novi generis*, *quibus cedere sit unum salubre remedium*: *spretis mortificationibus tanquam penitus inutilibus*: tum, *cœcæ obedientiæ in omnibus*: quibus congruat ad *omnes praxes a directore imperatas flexibilis animus*: insuper habitis *anteactis experimentis*, *lectionibus*, *consiliis*, *&* *consultationibus*: nihil ut sit proclivius, quam pessimas dirigendi artes, omnemque Molinosi paraturam reducere; excusare saltem, & intactam relinquere.

Max. p. 76. 123, 124.

Ibid. p. 75. 77. 93.

Ibid. 144.

Ibid. pag. 240

ibid. page 77.

32. De contemplatione, aliisque consectaneis in promtu est dicere; sed his supersedeo, ne totum hoc opus ab ipsa præfatione contexere velle videar.

33. His autem opponimus a scripturis traditam, ac patrum vestigiis tritam credendi, sperandi, diligendique semitam ac formam: nempe ut diligamus *dominum* existentem illum atque viventem, sed tamen *Deum nostrum*: in se quidem excellentem, sed interim se nobis commodantem, *conglutinatum* nobis,

Deut. VI. 10. 11.

bis, a quo nobis *bene sit*: quibus motivis clare a Deo revelatis, ac uno præcepto copulatis, piaque fide & obedientia conjunctis, sacram, ac purissimam, & eliquatissimam caritatem spiremus.

34. Absit ut ab ea doctrina scholæ decreta discedant: plane confitemur Deum in sese perfectum, in sese absolutum; nec in relatione ad nos constare perfectionem tantam: imo vero amorem nostrum longe transcendere, & exsuperare debere id omne quod mente apprehendimus, ut in illo beato & optimo qui lucem *habitat inaccessibilem*, animum defigamus. Quin etiam illud absolutum, ac perfectum existens, eadem exquisitissima ratione debemus agnoscere, ut illud ipsum quod sit in nos benevolum, quod sit beneficum, quod sit beatificum: eaque motiva ordinari quidem inter se, non autem a se invicem separari posse: & ad purum amorem ex corde eliquandum, secundum evangelicam, & apostolicam disciplinam, & inde secutas ecclesiasticas preces in praxi copulari, & in unum redigi oportere: quæ nostræ theologiæ in hoc fidei negotio adversus novitates summa est.

35. His puris, castisque decretis dominus Cameracensis, si Malavalli, Molinosi, si Lacombii, si Guyoniæ damnata commenta anteponat, sciet, ecclesiam non deludi ambiguis, non factionibus commoveri. Qui autem dignitati consulendum putant, pergratum faciunt episcopis quos in pretio haberi e re ecclesiæ est. Meminisse tamen debent, facile anteponendam particularis quantumvis maximi præsulis dignitati, sedis apostolicæ, romanæque ecclesiæ, ac nobilissimi juxta atque sanctissimi Pontificatus hono-

rifi-

rificientiam, quam in sana doctrina tradenda, asserenda, vindicanda; oportet esse maximam: neque oblivisci possumus, in hac ipsa Quietismi causa, romana ecclesia quid egerit adversus majores minora peccantes. Denique id confidenter dixerim, satis constituram domino Cameracensi ex ipsa obedientia suam auctoritatem, quem scilicet splendidiorem omnibus, carioremque faciet vere ac sincere emendatus error, quam ipsa ab initio doctrinæ integritas.

36. Instant, quidquid sit de dignitate, cum D. Cameracensi inclementius agi; qui cum incommoda sibi objecta negando propulsaverit, aut saltem explicando quodammodo retractaverit, tamen adhuc postuletur erroris haud secus ac si ea plane tueretur. Sane explicationes edidit, sed tam multiplices, tam varias, tam ancipites, ut nedum constiterit eas textui consonare, ab eo potius abhorrere, ac nequidem ipsas inter se convenire appareat: negat se retractasse quidquam, quasi id non honori, sed dedecori sit: nullibi errasse vult: & sic sua excusat omnia, ut etiam tueatur illam, non sine horrore auditam, involuntariam perturbationem Christi. Clara & perspicua, ac nullo ambiguo tecta, aut involuta pollicitus, obscura, & perplexa congessit: nec illud saltem confitetur, non fuisse clarum id quod tot explicationibus, tot emendationibus, tot excusationibus indigeret: denique explicationis nomine nihil nisi nova addidit novis; errores erroribus cumulavit; universamque concussit theologiam.

37. Quid quod explicationes nullo prorsus tentatæ sunt examine? unde mirum illud exurgit: alii expli-

cationum nullam habent rationem, ac librum plusquam auctor ipse defendunt: alii librum quidem in se facile abjiciunt; plenum ambagibus, periculosum, erroneum etiam haud ægre notant, modo detur locus explicationibus, quas fidenter probat nullum licet in examen adductas: nimis prono animo in auctoris obsequium.

38. De resignatione & indifferentia quam affert distinctionem velut a sancto Francisco Salesio ortam, & ubique in libello fundamenti loco positam, eam liquet ad rem nihil attinere: quippe cum resignatio quæ submissa, & indifferentia, quæ nulla desideria habere dicitur, nusquam de salute, aut rebus ad salutem necessariis ab eodem Salesio; sed de rebus indifferentibus, temporalibus, ac mutabilibus intelligantur, nulla, nulla, inquam, prorsus salutis æternæ, nisi quoad dilationem tantum, numquam autem quoad rei substantiam, mentione habita, & ipsa salutis abdicatione non res inter veras, sed res inter impossibiles recensita, ut ex textu sancti auctoris, & ex Pauli, ac Martini exemplis ab eodem allatis, satis superque constitit.

Am. de D. liv. 9. ch. 3. 4. 5. &c.

39. Quod ajunt, res abstrusas ac subtiles, quæ captum vulgi superare videantur, doctorum hominum disputationibus relinquendas; melius dicerent, ad homines otiosos, ac male feriatos remittendas, & a publicis tractationibus procul ablegandas, cum vanis curiositatibus dent locum; imo rebus pessimis involucra præbeant.

40. Jam de scriptionibus nostris uno verbo transigam. Calumniantur enim nos, quasi anticipato judicio

sedis

sedis apostolicæ decreta antevenire satagamus: quin ipse Cameracensis toto orbe jactat, a se quidem oblatum esse silentium, a nobis vero esse rejectum: quod est iniquissime comparatum, cum de silentio egerit post oppletum orbem tanta scriptorum, eorumque in nos ipsos atrocissimorum copia, ut si taceremus, nihil aliud quam imputatos errores, imputata crimina confiteri videremur.

41. Sane illustrissimus archiepiscopus ne finem scribendi faciat, id prætexit: sibi reo & accusato deberi ultimas respondendi partes: quasi nos ipsum, non ipse se ad sedem apostolicam detulerit: aut fori usu, ac legibus erroris insectatio apparetur. Vel Augustinum videat non sane contensiosum, sed modestissimum & imprimis pacificum, ad extrema usque suspiria inter Vandalorum insultus pro Dei gratia respondentem, & in sanctissimo opere strenue occumbentem. Ego vero qua mente scripserim, testatur scripta epistola ad eminentissimum Cardinalem Spadam, cum mea quædam in hoc argumentum opuscula mitterem: quam ego epistolam non ambitiose, sed necessario hic subjectam volo; ut sciat universus orbis, sciant posteri, si qua ad eos ipsius causæ gravitate scripta nostra pervenerint, quis noster intimus sensus fuerit, quanta in sedem apostolicam, ac dominum Innocentium XII. optimum & clementissimum Pontificem reverentia.

42. *Vellem equidem conticescere, eminentissime Cardinalis, & sedis apostolicæ tacitus expectare judicium. Dum enim ecclesia romana tam gravi examine rem tantam expendit, quid est præstabilius,*

quam ut præstolemur salutare Dei, & ut in silentio & in spe sit fortitudo nostra? Sed per manus hominum tot currunt epistolæ, tot responsa prodeunt, Instructiones pastorales tanto studio, tantaque arte sparguntur, ut merito vereamur, si nihil opponimus, ne doctrinis variis & peregrinis plebs Christi abducatur a simplicitate evangelii. Non ergo, eminentissime Cardinalis, tanquam ad contestandam, instruendamque litem hæc scribimus, aut, quod absit, docendam suscipimus magistram ecclesiarum, a qua doceri cupimus. Rogamus autem, ut hunc librum, quem extorsit ipsa necessitas, & benignus accipias, & ad S. D. N. pedes offerre velis: redeunt enim ad nos libri nostri clariores, atque firmiores, cum vel tetigere apostolicum limen. Si vero ipse Paulus arcanorum auditor, & tertii cœli discipulus venit Jerosolymam videre, & contemplari Petrum, cum eoque conferre evangelium, quod prædicabat in gentibus, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset: quanto magis nos humiles, sed cathedræ Petri communione, & gratia gloriantes, ad eam afferre omnia nostra debemus; vel incitandi, si legitime currimus; vel emendandi, si vel minimum aberramus? Ego quidquid scribo, hac mente me scribere volo, sanctoque Pontifici fausta omnia apprecor; utque te rerum præclarissimo administro diutissime utatur, oro: eminentiæ tuæ addictissimus. Vale, eminentissime Cardinalis. Sic inscriptum: *eminentissimo Domino meo D. Cardinali Spadæ, Jacobus Benignus Bossuetus Episc. Meldensis S. & obsequium.*

43. Hæc quidem a nobis scripta sunt. Libri defen-

fensores alii mysticos inclamant, alii scholasticos: nos vero illis in tuto collocatis jam id agimus, ut Quietismo resurgenti consulatur, tantique momenti rem, brevi opusculo comprehensam, pro sua gravitate perpendi postulamus.

QUIETISMUS

REDIVIVUS.

SECTIO PRIMA.

Primus error Quietistarum de cura, ac desiderio salutis, aliisque connexis.

Hoc loco statim admonemus, singulas propositiones suo hic ordine recensendas, singulos fere errores continere: ceterum facilitatis causa, errores cognatos, & ad eundem finem pertinentes, in idem caput compingimus.

CAPUT PRIMUM.

Molinosi & aliorum loci.

1. De hoc errore, quo totus de doctrina sanctorum liber collimat, legantur primum hæ jam in Summa doctrinæ memoratæ, quatuor Molinosi propositiones: 7. & 12. *ne anima de inferno, aut de paradiso cogitet, aut eorum curam gerat, aut propriæ perfectionis, aut virtutis, aut salutis suæ, cujus spem abjicere debet:* quibus addendæ sunt 31. & 35. *de*

Sum. doct. n. 2. sub fin.

 omit-

omittenda a meditativis praxi virtutum, deque earum actibus, propria electione, aut activitate non producendis: ac de supprimendo amore erga humanitatem Christi, ut quæ sit objectum nimis sensibile. Quæ sane propositiones quam totum Quietismum facile complectantur, omnes vident. Damnatæ autem sunt ab Innocentio XI. in Bulla: *Cœlestis pastor.*

Etats d'or. p. XVII. Ibid. p. 73. 74. 88. 91. 93 &c. Guid. liv. 2. ch 19. 20. 21 ch. 2. &c.

2. Ad has revocandæ istæ ejusdem Molinosi, deinde Guyoniæ. Molinosi quidem: *vitam consistere in eo quod nihil consideres, nihil desideres: nihil velis: atque animam quidem olim esurientem fuisse bonorum cœlestium, ac sitientem Dei, quem amittere metueret;* ubi notandum illud *olim: nunc autem*, ex quo scilicet *anima perfecta est*, *eam nihil curare beatitudinem illorum qui esuriunt ac sitiunt justitiam*. Hæc quidem Molinosus.

Moyen court §. 6. 17. &c. Cant. ch. 2. v. 4. p. 44.

3. Guyonia vero secuta Molinosum *derelictionis* nomina (abandon) docet *indifferentiam ad quæcunque bona, sive animæ, sive corporis, sive temporalia, sive æterna*: ita ut anima quæ *quondam ex motu caritatis bona omnia sibi volebat per respectum ad Deum, sui ipsius tota obliviscatur: obliviscatur omnis commodi, salutis, perfectionis, gaudii, solatii, neque quidquam sibi postulet*. Nec mirum, quippe quæ nec ulla bona sibi velit, ac nequidem per *respectum ad Deum: quondam* enim ea volebat: non nunc. Ad hæc per illam indifferentiam anima *illa sic intrat in divinæ justitiæ rationes* (*interests*) ut *toto corde consentiat in id omne quod de ipsa fecerit* (*divina justitia*) *sive ad tempus, sive ad æternitatem:* quo comprehenditur consensus in reprobationem & alie-

nam

nam & suam, quæque ex his consequuntur. Alio loco: *sic intrat in divinæ justitiæ rationes, ut nihil aliud velle possit, sive sibi, sive cuicunque alteri præter eam rationem (interest) quam divina justitia ipsi præstare velit, sive ad tempus, sive ad æternitatem.*

In Cant. c. 8. n. 14. p. 206. & seq.

4. Eadem Guyonia dixit, *non posse animum suum hærere in quocunque desiderio, etiam gaudiorum paradisi:* ac postea: *tanta amantis indifferentia est, ut nec possit desiderare paradisum*, quanquam hoc desiderium nihil aliud spirat quam illud toties a B. Augustino memoratum, gaudium de veritate, deque Deo viso, possesso, & summe in æternum amato, aliisque consectaneis.

Ibid. pag. 207. Ibid. 208.

5. Atque hæc de cura, desiderio, ac studio salutis: quoniam inter se conjuncta sunt ad eundem titulum rediguntur. De Christi humanitate quandoquidem ea quæ Molinosus, aliique dixerunt, non ita claram conjunctionem cum antedictis habent, alium in locum transferantur. Illustrissimus autem antistes quam nihil aliud præter hæc doceat, coloret & pingat, sequentia demonstrabunt.

CAPUT II.

Domini Cameracensis loci, sive propositiones circa abdicationem & immolationem salutis æternæ.

Prima Propositio.

1. Articulus VIII. hæc habet: *in extremis probationibus zelatorem, sive æmulatorem Deum, purgando*

Max. des SS. art. 8. p. 71.

do amori nullum ostendere exitum sive nullum perfugium, nullam spem ad suum commodum proprium æternum: atqui nullum est nobis proprium commodum æternum præter ipsam æternam salutem: ea ergo est cujus spes abdicanda proponitur: quod est impium ex ipso auctore in Instructione pastorali passim.

Inst. past. p. 10. 23. 17. 49. 51. 50. 81. 84. 90. 104. &c.

2. Hunc in locum non cadit interpretatio affectus naturalis, qui affectus naturalis nedum sit æternus, solo hujus vitæ tempore nec toto continetur, cum nec ad perfectos spectet. Ergo iterum, atque iterum spes salutis abdicatur.

Voy. Pref. sur l'Inst. past. n. 12. 13. p. x. xi. xii. xv.

3. Hunc etiam, nimirum ad illum actum quem vocant derelictionem sui (abandon), quo commodum proprium abdicatur, nec aliud profecto quam illud æternum, huc, inquam, ab auctore refertur illa *a Christo postulata sui abnegatio*. Ergo motus animi ipsum abnegantis, est motus animi abnegantis spem salutis æternæ: totus ergo articulus ad impietatem pronus.

Ibid. 72. 71.

Secunda Propositio.

4. Articulo x. sic scribitur: *In extremis probationibus anima potest invincibiliter persuasa esse persuasione reflexa, quæque non sit ex intimo conscientiæ, se a Deo juste esse reprobatam*. Ac postea adducitur: *convictio quæ non sit intima, sed apparens, & invincibilis*. In eo autem consistit error, quod piæ animæ invincibiliter credant se a Deo juste esse reprobatas, quæ blasphemia non alio modo ab auctore solvitur, quam si intelligatur illa persuasio populari quodam sensu: in eo quod anima id *imaginetur*,

p. 87.

Ibid. pag. 90.

tur, *credat*, *somniet*, ut habetur in notis & Instructione pastorali centies. Sed frustra: convictio *enim est*, eaque *invincibilis*. Atqui convictio ad mentem pertinet: denique ex ipso auctore *reflexa est:* atqui ex Instructione pastorali *imaginatio incapax est reflexi actus*: hic actus ad mentem, *ad superiorem partem*, ad intellectum, voluntatemque pertinet: ergo & illa persuasio atque convictio. Item illa persuasio, sive convictio pars est sacrificii offerendi, de quo mox dicemus: pars est etiam illius acquiescentiæ infra quoque memorandæ. Non ergo est imaginantis, aut somniantis, sed vere & serio reflectentis: id autem ipso auctore fatente est impium: ergo ex ipsis explicationibus liber impietatis arguitur.

Nota lat. in librum de doct. SS.

Inst. past. p. 22. post 22. 23. 28.

Inst. past. p. 28.

5. Deinde, is status aperte desperantis est; ergo piæ animæ, quæ in illo esse finguntur, in desperationem consentiunt.

6. Tum, ex eo quod sit illa persuasio ineluctabilis, id efficitur, ut fideles animæ contra apostolum expresse *supra id quod tententur possint*, & ut *Deus jubeat impossibilia:* quod hæreticum & anathemate damnatum a concilio Tridentino ipsissimis verbis.

I. Cor. X. 13. Conc. Trid. Sess. VI. cap. 10. Voy: Troisieme ecrit p. 96.

7. His autem semel positis totus articulus scatet blasphemiis. Neque valet excusatio, quod illa persuasio, & convictio dicatur *apparens*, *non intima:* hoc enim ipsum est quod vitio datur; nempe ut persuasio, & convictio illa quæ sit reflexa & invincibilis, sit tantum *apparens*, *non intima*. Sic namque pessimus Molinosus docet turpissima flagitia, in quæ perfectæ animæ invincibiliter rapiuntur, apparentia esse, non

non intima: tum illud perversissimum, ea haberi pro non intimis, sed tantum apparentibus, quæ sint reflectentis animi: ergo propositio ipsa sua excusatione se ipsam conficit.

Tertia Propositio.

Art. 10. p. 90. 8. Eodem art. x. sic legitur: *in illa impressione involuntaria desperationis fit absolutum sacrificium commodi proprii in æternitatem*: ergo illa immolatio rem spectat tota æternitate duraturam, adeoque non aliud quam ipsam æternam salutem: quo aperte firmantur ea, quæ de commodo proprio æterno in prima propositione relata sunt.

Quarta Propositio.

Ibid. p. 90. 9. Confirmatur ejusdem propositionis sensus erroneus ex hoc addito: *fit absolutum sacrificium commodi proprii in æternitatem, quia casus impossibilis* p. 87. 89. *animæ videtur possibilis, & actu realis*: idque per- p. 87. suasione & convictione invincibili. Casus autem impossibilis spectabat *beatitudinem æternam, ac pœnas æternas, quibus non amisso amore Dei piæ animæ addicerentur*. Ergo & ille casus non modo *possibilis*, verum etiam actualis, & realis visus, spectat æternam salutem: ergo piæ animæ revera sibi videntur æternis præmiis privandæ, æternis suppliciis addicendæ: idque invincibiliter. Quod est hæreticum, & impium, ac blasphemum.

10. Ergo piis ac sanctis, immo etiam perfectissimis animabus, hæresis, impietas, ac blasphemia attribuitur: hoc autem ipsum, nempe imputare sanctis

hæ-

hæresim, impietatem & blasphemiam, hoc, inquam, ipsum est hæresis, impietas, blasphemia. Ergo undecunque spectentur propositiones istæ blasphemiis scatent.

11. Hinc autem recte concluditur, in illo sacrificio absoluto nullius alterius rei abdicationem edi, quam salutis æternæ, quod est misericordi Deo, non spei, quod jubet, sed desperationis offerre sacrificium: quæ abominatio est, ac pejus aliquid quam immolare canem.

Quinta Propositio.

12. *Non hic agitur, ut ei (animæ) proponatur præcisum dogma fidei de voluntate Dei ad salvandos omnes homines, aut etiam fides illa qua quisque debet credere, velle Deum salvum esse unumquemque nostrum.* Ac postea: *non hic, inquam, agitur, ut quis ratiocinetur cum illa anima, quæ omnis ratiocinationis incapax est.* Quæ omnia, ut antedicta, eo pertinent, ut anima pia tentetur supra id quod potest, cum nulla rationis, aut fidei ope sublevari queat: & ut ab ea tollatur *rationabile obsequium*, Apostolo teste, pietati christianæ necessarium.

Max. pag. 80. Ibid. p. 80. Sup. n. 6. Rom. XII. 1.

Sexta Propositio.

13. *Tunc director potest sinere, ut anima simpliciter acquiescat amissioni sui commodi proprii, & justæ condemnationi, in qua se esse ex parte Dei credit:* eodem articulo x. quæ propositio eadem qua ceteræ censura inuritur. Reliqua eodem ictu corruunt: nempe illud acquiescere simpliciter justæ

Art. 10. p. 91.

con-

condemnationi auctore directore, non potest esse nisi reflectentis, deliberantis, libere assentientis, voluntarie sacrificantis, damnationi consentientis, cum ea condemnatio, quæ ex parte *Dei* agnoscitur *adversus animam* de suo pessimo statu invictissime simul, & ut ita dicam reflexissime persuasam, nihil sit aliud quam ipsa damnatio. Quæ si esset tantum abdicatio affectus humani, non tantus esset animæ desperantis labor, neque id condemnationis, ac reprobationis, sed potius liberationis loco haberetur. Ergo hæc omnia absona & impia, ex ipsis etiam explicationibus.

Ibid.

14. Hæc autem explicatio alibi ab auctore abdicatur. Sed nec pluris valet ea quam ejus loco substituit: *Tunc acquiescere animam justæ condemnationi suæ ex parte Dei, cum fatetur esse se dignam sempiternis suppliciis:* falsissimum. Aliud enim est, id agnoscere, ac simul amoliri a se iram justi judicis piis supplicationibus, quod est sperantis in Deum, ac de sua salute solliciti: aliud, acquiescere & consentire justæ condemnationi tamquam immedicabili: quod est desperantis, ac blasphemantis.

Lett. 3. a M. de Meaux, p. 5. Relat. 7. sect. n. 3. p. 110.

CAPUT III.

Solutis auctoris responsionibus amplius manifestatur error: responsio prima auctoris ducta ex articulis Issiacensibus.

1. Sæpe respondet auctor circa abdicationem, & immolationem salutis æternæ, nihil aliud a se proponi

poni præter id quod articulis Issiacensibus, maxime autem 33. continetur.

2. Hoc autem quam sit falsum, docent quinque maxima inter hos articulos, & auctoris doctrinam discrimina.

Primum enim, articuli tantum per conditionem impossibilem procedunt: auctor autem etiam per absolutam & veram abdicationem salutis: *casu impossibili reali & actuali viso*. *Art. 13.* *Max. pag. 20.*

Secundum hinc consequens: Issiacenses articuli tantum velleitatem admittunt, ex objecto quippe impossibili: auctor vero voluntatem veram & absolutam: quæ toto genere differunt.

Tertio, auctor justæ reprobationis, & condemnationis suæ persuasionem, & convictionem, eamque insuperabilem, ac reflexam, atque adeo in superiore animi parte statuit: a quo in articulis abhorremus.

Quarto, in articulis vetatur director, ne sinat animum desperationi, ac damnationi suæ acquiescere: quod in auctore contra est. *Art. 31.*

Quinto, apud auctorem director animæ laboranti dogma fidei, præsertim illud de Dei bonitate, non prædicat, nec ratione agit: quod contra facere articulis Issiacensibus diserte jubetur. Iidem articuli, ad solatium animæ laborantis, fidei decreta cum recta ratione conjungunt, & jubente Apostolo rationabile obsequium proponunt, ut supra dictum est. *Ibid.* *Sup. s. prop.*

3. Toto ergo, ut ajunt, cœlo differunt ab auctoris dogmatibus Issiacenses articuli.

CA-

CAPUT IV.

Altera responsio auctoris repetita ex vita s. Francisci Salesii; prout a me refertur, ac de responso mortis.

Max. des SS. p. 88. Inst past. p. nota ad p. 90. 92. Trois. écrit p. 91.

1. De s. Francisco Salesio in sensum ineluctabilis desperationis abducto; deque vitæ ejus auctore, ac meipso qui laudaverim, alibi egimus, & gallicos tractatus opusculo gallico melius explicari posse duximus. Nunc sufficit, hunc statum ex ipsis auctoris explicationibus esse impium, nec modo a tanto viro Francisco Salesio, verum etiam ab omni pia anima penitus alienum.

Etats d'or. p. 110. Trois. écrit num. 22. p. 115.

2. Illud tamen prætermittere non possumus: quod D. Cameracensis in nos retorqueat illud a nobis in eodem Francisco Salesio agnitum *responsum quoddam mortis æternæ; sive certæ reprobationis:* quod pace ejus dixerim, apertum est mendacium. Neque enim uspiam scripsimus in beato viro fuisse *responsum mortis æternæ:* absit: nec etiam absolute *responsum mortis: sed quasi responsum mortis*. Responsum autem mortis diximus sensu Pauli, veræ ac propriæ mortis, *ita ut tæderet nos*, inquit Apostolus, *etiam vivere: sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis; sed in Deo qui suscitat mortuos.* Quod beato Salesio apprime convenit, a quo tunc spem omnem vitæ abjectam esse testantur ejusdem epistolæ, quas tertio scripto nostro gallico commemoravimus.

II. Cor. I. 8. 9.

Liv. 3. ep. 26 al. 29. Liv. 5. ep. 27. al. 30. Trois. écrit n. 13. 14. 15. 22.

3. Nihil ergo nobis cum D. Cameracensi commu-

ne

ne est, qui nec in Salesio, nec in ullis piis animabus certæ reprobationis sensum, nec persuasionem insupetabilem eamdemque reflexam, hoc est in ipsa parte supremâ & rationali constitutam, nec absolutum sacrificium, nec ullum in desperationem assensum admittimus: quæ blasphema & impia, D. Cameracensis nec a se avertere, nec nobiscum communicare potuit.

CAPUT V.

Alia responsio Cameracensis repetita ex falsis articulis, quibus idem antistes Molinosum damnat.

1. Hoc se maxime argumento D. Cameracensis effert, quod falsis suis articulis Molinosum clare proscripserit, nedum ejus erroribus favere voluisse videatur. Atqui falsum hoc est. Illustrissimus enim auctor, (grave dictu, sed re ex antecedentibus nota) summam Quietismi tueri voluit: noluit in apertam damnationem incurrere: ergo quæstionem involvit: non nihil mitigaverit: nec satis cogitavit quam ex tenui scintilla tota flamma resurgeret.

2. Quorsum ergo, inquies, falsos illos articulos apparavit, & totum Quietismum omnino confodere velle visus est? Experire lector quisquis es: facile compereris quis sit ille Quietismus ab auctore confutatus: larva Quietismi est, horrendis, ac nimiis deformata figuris, atque coloribus. Quis enim Quietistarum id profitetur usquam, ut *Deum æterno odio prosequatur: ut seipsum reipsa odio habeat: Dei opus & imaginem in seipso propter Deum diligere cesset:* *odio*

Art. 1. faux, pag. 10. 11. 12.
Art. 12. faux, pag. 111. 114.

odio absoluto se oderit, tamquam opus Dei non esset bonum; atque ad illud extremum abnegationem sui exacuat odio impio animæ suæ, quo supponitur eam esse malam natura, ut Manichæi docuerunt. Hæc auctor de Quietistis fingit. At at: usque adeone metuis, ne vero ictu lædas? figmentum est, spectrum est, quod poetarum instar discerpendum tradis, & justum in Quietistas christianorum odium inani fragore consumis: denique jacularis in nubes: ipsos transilis & intactos relinquis.

CAPUT VI.

His propositionibus totus liber continetur.

1. Jam ergo confutatis responsionibus, quibus auctor errores suos involvebat magis quam certa ratione tuebatur, perspicuum remanet ab eo defensas propositiones antedictas, quibus Molinosi salutis incuria propugnatur. His autem propositionibus semel agnitis, & damnatis totus liber concidit. Huc enim antecedentia: huc consequentia: huc totus spectat liber. Postea quam enim eo nobis tota res redit, ut in desperationis barathrum perfectæ, ut sibi quidem videntur, animæ demergantur: quis ab eo abhorrebit, ut spei theologicæ movendi vim detrahat, aut cujusvis occultæ voluntatis, hoc est reprobationis ipsius desiderium introducat? Ex quibus facile consequitur illa animæ a seipsa tanta distractio, quæ spem cum desperatione conciliet, & cum infidelitate fidem, & vitia omnia cum omnibus virtutibus: quo nihil est in Molinosismo tetrius. Has autem

tem consecutiones in *Summa doctrinæ* liquido demonstratas D. Cameracensis vidit, & in Responsione sua reliquit intactas: alibi vero conversus ad vaniloquia, nihil aliud, quam suos errores ipse prodidit: quod etiam sequentia demonstrabunt.

Summa doctr. n. 3. p. 8. 9.

SECTIO II.

Secundus error de probris in absoluto sacrificio involutis, deque distractione partium animæ per actus directos, ac reflexos, ac de tentationibus novi generis.

CAPUT I.

De probris, ac propudiis morum.

1. Quisquis infandæ sectæ arcana perspexit christiano orbi nimis nota, is profecto intelligit, in hoc sacrificio, in his extremis, quas vocant probationibus, in hac salutis abdicatione, quæ morum propudia involvantur: a quibus ut abhorrere D. Cameracensem credimus, sic horum principia, eaque proxima ab eo esse posita certo certius est, & ex antecedentibus, & ex sequentibus quoque propositionibus magis elucescet.

Septima Propositio.

2. *Tum* (in extremis illis probationibus) *anima a seipsa dividitur, & exspirat in cruce cum Christo, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*: art. x. cui concinit illud articuli XIV. *in extremis probationibus ad amoris purificationem*

Art. 10. p. 90.

 fit

[*Art.* 14. p. 121.] *fit separatio partis superioris animæ ab inferiori.* Ac paulo post: *sic in Christo perfecto exemplari nostro: pars inferior non communicabat superiori involuntarias perturbationes suas... superior quoque non communicabat inferiori suam pacem, aut beatitudinem.* Denique: *in ea separatione actus inferioris partis perturbationis sunt omnino cæcæ, & involuntariæ, cum omne intellectuale, & voluntarium sit superioris partis.* Quorum error in eo consistit, non quod admittatur quædam separatio superioris, inferiorisque partium, quam omnes theologi post Paulum agnoscunt: [*Heb.* IV. 12.] sed ut admittatur ea separatio, qua concilientur in summa parte spes; in infima, vera desperatio, ex consensu, & acquiescentia voluntatis, quam vidimus: (sup. prop. 6.)

3. Hinc error secundus, ac pejor, quod in illis probationibus, *actus inferioris partis perturbationis sint omnino cæcæ, & involuntariæ*: neque enim omnino cæca, & involuntaria ea perturbatio est, quæ a superiore parte, id est, ab ipsa ratione regitur, justisque imperiis coercetur: quo imperio destituta in omne flagitium proruit: unde etiam fit, ut secundum Molinosum infanda illa eveniant.

4. Tertius error, isque pessimus, quod hæc omnia ad exemplum Christi fiant, atque animæ desperatæ, distractis *superiore* atque *inferiore* partibus, in eum modum quem vidimus, *cum Christo expirent in cruce, cum eoque dicant, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.* Hæc autem annotamus sine præjudicio erroris singularis suo loco redarguendi de involuntaria perturbatione Christi.

Octa-

Octava Propositio.

5. Ad eamdem propositionem pertinet istud de reflexis, directisque actibus: *ea separatio fit ex differentia actuum realium, sed simplicium, & directorum intellectus, ac voluntatis, qui nullum relinquunt vestigium sensibile, & actuum reflexorum, qui vestigium sensibile relinquentes se communicant imaginationi, ac sensibus, qui pars inferior appellentur, ut distinguantur ab ea operatione directa, & intima intellectus, quæ pars superior dicitur:* eod. art. XIV.

p. 121.

6. Quo loco omittimus errorem auctoris, partem superiorem in directis, inferiorem vero in reflexis actibus, repugnante etiam philosophia, reponentis: illud adverti volumus, esse in reflexis actibus desperationem ipsam, stante in directis summa, ac perfecta spe: ex quo elicitur veri consensus in omne vitium, una cum virtute eidem opposita conciliatio: totusque iste locus, & sibi contradicit, & ad colorandum, palliandumque Quietismum clare pertinet. His consentanea est doctrina circa tentationes quasdam novi generis.

CAPUT II.

De tentationibus extraordinariis.

Nona Propositio.

1. Dantur tentationes *novi generis* sive *extraordinariæ, naturæ differentis a vulgaribus.* Harum

Max. des SS. p. 71. 143. 145.

Ibid. p. 92. autem tentationum ea vis, ea natura est, ut iis consentire una sit salus. Sic in tentatione desperationis una salus habetur, si auctore directore, *in justam tuam a Deo imminentem condemnationem simpliciter acquiescas, nec alia via est sedandæ tentationis, cum bujus effectus gratia instituta sit.* Huic conjungenda est

Ibid.

Decima Propositio.

Ibid. 149. 2. Ubi D. Cameracensis directori quid sit agendum præcipiens, subdit: *ante omnia, & præcipue debet supponere tentationes esse quasdam generis communis, quarum remedium est mortificatio interior, & exterior cum omnibus actibus timoris, & omnibus praxibus amoris mercenarii. Oportet etiam obfirmare animum, ne quidquam admittas ulterius, nisi certo constiterit ea remedia* (mortificationem scilicet interiorem, & exteriorem) *esse omnino inutilia:* quo loco supponit inutilia esse remedia, quæ *sunt* per se se maxima; memoratque tentationem quæ *non oratione, & jejunio*, quod in summis tentationibus Dominus præceperat, sed ipsa consensione vincitur: ex quibus quam horrenda consequantur, animus intueri refugit.

Matth. XVII. 20. Marc. IX. 28.

Undecima Propositio.

3. Jam quales esse debeant animæ ille paucissimæ, quæ *extremis illis probationibus*, novique generis tentationibus destinentur, prodit auctor his verbis: *oportet eas usque adeo esse dociles, ut numquam voluntarie hæsitent in capessendis quibusque*

Art. 8. p. 99.

re-

rebus duris & humiliantibus: item oportet, nulli consolationi, nulli libertati additas eas esse: ad hæc oportet ut sint ab omni re divulsæ, atque etiam a via qua illam ipsam divulsionem doceantur: ut sint preparatæ omnibus praxibus, quascunque ipsis impositas velint: non sint addictæ neque suo orationis generi, neque suis experimentis, neque lectionibus, neque personis, quarum olim auctoritate, & consiliis fidenter utebantur. Liceat perpendere voces omnes; ambiguas sane, sed in Molinosi sensum pronas. Quid illi, ejusque asseclis *sit illa docilitas; & humiliatio*, nemo nescit: cur autem non sufficit, ut sint omni consolatione, nisi sint etiam *omni libertate* nudatæ? Sane illa privatio *libertatis omnis* Molinoso grata, aptaque explicandis flagitiis, in quæ eodem auctore quædam animæ vi quadam, ac necessario impetu rapiuntur. Jam abstractio ab omni re, atque etiam ab abstractionis via: ab omnibus pristinis lectionibus, ab omnibus piorum directorum consiliis; quid portendit? quid portendit animus indistincte ad omnes praxes a novo directore imponendas comparatus? Hæc omnia quam illam animam faciunt novis imperiis tractabilem, ac parabilem, præsertim accedente doctrina *ut se illæ animæ judicari sinant a superioribus*; quo nomine etiam confessarii comprehenduntur, *iisque in omnibus cæco modo obediant*: sive *cæcam obedientiam præstent*: (*leur obeït aveuglément en tout*:) quæ postrema ac proxima dispositio est ad novorum directorum abusus stabiliendos. Mirum a tanto archiepiscopo tot congestas voces, quas ad constituendas directiones novas,

Max. des SS. p. 239. 240.

Max. des SS. p. 239. 240.

novas tentationes, nova remedia, hoc est nova flagitia, pessimus quisque Molinosi sectator arripiat.

Duodecima Propositio.

4. Sane laude digna est admonitio ad directores, ne in inferiori parte permittant *unquam* inordinatos actus, qui cursu naturali rerum *voluntarii*, *& superiori parti subjecto esse soleant*, *art.* XIV. Nec tamen omissas *voluit possessiones*, *obsessiones*, *aliaque extraordinaria ad vias interiores pertinentia*, quæ quidem *a via fidei*, *ac puri amoris* non absolute *arceantur*; *sed ita dumtaxat*, *ut tantum infrequentiora sint*, *quam in ceteris viis*. Hæc igitur probra D. Cameracensis & vidit, nec ab ea quam tuetur via tantum amoliri visus est, quantum res pessimas oportebat: quæ quidem commemorasse gravissimum est; sed tamen dissimulari causæ susceptæ ratio non sinebat.

Art. 14. *p.* 221. 124.

Ibid.

CAPUT III.

Hæc apta ad tuendam Guyoniam.

1. His propositionibus ad Molinosum tuendum pertinentibus congeneres sunt hæ quas Guyonia protulit in Interpretatione ad Canticum canticorum. Ubi *nigredo* sponsæ, hoc est ii *defectus exteriores*, *sive reales*, *sive apparentes*, *quibus in statum naturalem recidere videatur*, in perfectis animabus, *non ex defectu amoris aut fortitudinis provenit*, *sed refertur ad fervorem divini Solis ardentibus ac urentibus aspectibus eam decolorantis*: quo fit, ut *nigredo il-*

In Cant. ch. 1. *v.* 5. *p.* 18.

la

la sit progressus non defectus. Subdit, progressum *illum a juvenculis animabus considerandum non esse: quarum quippe nigredo ab ipsis procurata, defectus esset, cum ut illa bona sit, non ab alio quam a Sole justitiæ provenire debeat*. En nigredo, sive defectus; alii reales, alii apparentes: alii a Sole justitiæ profecti, & progressus loco habiti; atque adeo ad perfectas animas pertinentes: alii ab imperfectis animabus orti, qui vitio sint: quale mysterium nemo enucleaverit, nisi ex pravis Molinosi dogmatibus, atque praxibus.

2. Alio loco inducuntur vulpeculæ, hoc est multi defectus, *exigui* quidem appellati, sed tamen *vineam devastantes*: quos *dominus vineæ immittat: ut ad vineam deserendam* anima compellatur. En defectus, iique *animam devastantes*, *exigui* dicuntur, & purgationis loco ab ipso Domino *immissi* memorantur. Quæ iterum atque iterum Molinosum spirant.

Ibid. ch. 2. v. 15. p. 62.

3. Postea: ignominia *sive abjectio* inducitur ea, quæ duabus rebus constet: prima, quod *anima seipsam, ac defectus naturales rursus induat: altera, ut seipsam maculet creaturarum amoribus:* (se salir dans les affections des creatures:) subdit, *nihil est aliud quod mihi ignominiam, atque abjectionem conciliare possit: cum contemtus ii, qui a creaturis provenirent, absque eo quod horum ex mea culpa causa essem, mihi gloriæ futuri essent:* en iterum ac tertio Molinosi ritu purgationis loco instituta abjectio, cujus ipsa anima per reditum ad se, atque ad naturales defectus; ac per creaturarum amores sua culpa causa sit; id autem ut confirmet & explicet:

Ibid. ch. 5. v. 1. p. 113.

Ibid. v. 4. p. 115.

4. Addit animam *eo adductam, ut nihil Deo jam denegare possit: tamen cum Deus explicat peculiaria consilia, eoque jure usus quod in eam acquisivit, postulat abnegationes ultimas, atque extrema sacrificia, totis visceribus commoveri & excusare se:* sed ipsam excusationem esse *in culpa*; quippe quæ *prohibeat purificationem animæ, puritati & innocentiæ* suæ adhærescentis, & *exuendæ propriæ justitiæ repugnantis:* en illæ tentationes quibus obsistere crimini detur: en perfecta abnegatio, atque extremum sacrificium, ex eo quod anima ad seipsam, & ad amores creaturarum revolvatur: ut n. 3. dictum.

Ibid. v. 6. p. 118.

5. Hæc est igitur illa perfecta purgatio: hæc *perfectissima sui derelictio* (abandon :) *hoc sacrificium purissimum, quo impedimentum omne cœlestis connubii tollitur, ac perditio totalis* inducitur: manet interim in anima *plaga* ab *amante inflicta, culpæ pœna, & immundities, quam contraxisse se putat,* (putat enim tantum, non revera contraxit) ex reditu ad se, & ex creaturarum amoribus.

Ibid. v. 7. p. 121.

6. Hinc etiam *illa vulnera a militibus, hoc est a divinæ justitiæ ministris illata: sublato etiam pallio tam caro propriæ justitiæ: præcipuo licet illius ornamento:* en sublata illa *propria justitia*, illa, illa, inquam, quæ prius summo ornamento esset.

7. Nec mirum hæc probrosa, & infanda obscuris involvi dictis: quam secutus methodum D. Cameracensis hæc excusat, & latenter insinuat inductis illis, quas supra commemoravimus, tentationibus, consensionibus tantum apparentibus, etsi invincibilibus, privationibus omnis libertatis, sacrificiis absolutis,

lutis,

lutis, & reliquis ejusmodi perplexis, ambiguis, ad prava vergentibus, immo aperte pravis, neque umquam ex vero excusandis.

SECTIO III.

Tertius error de virtutibus.

CAPUT I.

Molinosi, & Guyoniæ errores.

1. Ad probra morum pertinent neglectæ virtutes. Non autem est hic animus retexendi Molinosi verba de omittenda a perfectis animabus, ipsius perfectionis, ac virtutum cura: vide quæ relata sunt 1. Sect. cap. 1. n. 1.

2. Guyonia vero his congrua protulit, his verbis: *Nullas esse animas ad virtutum praxim magis exercitatas, quam eas, quæ de virtutum praxi in particulari non cogitent.*

Moyen court, p. 36.

CAPUT II.

His consonæ D. Cameracensis propositiones.

Decima-tertia propositio.

1. *Purus amor nullam vult virtutem, quatenus est virtus, id est quatenus est fortitudo, regularitas, perfectio.*

Max. des SS. p. 224.

De-

Decima-quarta propositio.

2. *Tunc exercentur virtutes omnes distinctæ; non cogitando eas esse virtutes: quovis momento nihil aliud quis cogitat, quam ut Dei voluntatem faciat:* quasi non in eo ipso vel maxime virtus collocetur, ut Dei voluntati obtemperemus: aut sit perfectius generatim cogitare Dei voluntatem, quam speciatim hanc, & hanc divinæ voluntatis exequendæ rationem, in qua collocatæ sunt distinctæ virtutes. Unde

Decima-quinta propositio.

Ibid.

3. *Amor æmulator facit simul, ne quis jam velit esse virtute præditus, eoque magis sit virtute præditus, quod virtuti jam non studet:* quæ cum auctor intelligeret pessime sonare, nec ab auribus christianis ferri posse, in *errata* ita emendavit, & emollivit: *virtute præditus: lege, virtute propter se.* Frustra: Ambigue enim dictum; si enim *propter se* sic intelligitur, ut in illo fine animus conquiescat, nullus est justorum etiam imperfectorum, qui *propter se* virtutis studiosus esse velit: si autem *propter se* id sonat, ut sibi quisque velit virtutem, nemo est etiam perfectissimus qui non id velit: quare ista omnia sunt pessima paradoxa ad infringendam virtutis dignitatem, ejusque adipiscendæ necessitatem, & votum instituta, nec ad alium finem conducentia, quam ad Molinosum, ejusque sequacem Guyoniam excusandos, immo vero extollendos, ac laudandos, ut ex supradictis patet.

De-

Decima-sexta propositio.

4. Pessimum est istud: *quod sancti mystici a perfectionis statu excludant praxes virtutum:* quo & sanctis imponit, & virtutis nomen invidiosum reddit, ut est in Declaratione positum. Max. art. 40. p. 251. Ult. edit. p. 265.

5. Hæc autem emollit auctor, dum praxes virtutum refert *ad certam quamdam ordinationem formularum*, de qua in eo articulo egit: tamquam nihil aliud egerit. Sed neque id tantum egit; verum alia quædam: atque illud imprimis, ut *anima perfecta Deum nullo medio amare intelligatur; quia nullum commodi*, etiam illius æterni, de quo antea diximus, *motivum adhibeat:* neque tantæ perfectionis est ab illarum formularum crassa servitute absolvi animas, ut in eo transformationis, sive summæ perfectionis ratio, de qua in articulo agitur, collocari mereatur. Ibid.

6. Sane exprobrat auctor, falso sibi imputari in nostra Declaratione, quod dixerit a sanctis mysticis excludi virtutis *praxim*, cum ille *praxes* scripserit: pessime objectum, cum ideo in eadem Declaratione reprehenderimus, quod plurali quoque numero exclusum voluerit, *praxim & virtutum actus*. Iis autem usi sumus vocibus, ut clare appareret excludi ab auctore ipsum virtutis exercitium, ipsos virtutum actus: quod damnatum erat in Beguardis dicentibus: *quod se in actibus exercere virtutum, sit hominis imperfecti*. His congrua affectare, & vanas excusationes postea obtendere, nihil est aliud quam hæreticis favere, eorumque erroribus colorem, ac pigmenta quærere: quod tantum præsulem non decebat. Ibid. Clem. ad nostrum de hær.

CA-

CAPUT III.

His apostolica doctrina paucis opponitur.

Phil. IV. 8.

1. His autem propositionibus opponimus hæc Pauli: *De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate:* quod profecto longe distat ab eo, ne cogitemus virtuti, quatenus virtus est, aut virtutum distinctioni studeamus. Concinit Petrus de singulis, distinctisque virtutibus mandans: *ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis caritatem.* Quibus qui negaverit ita præcipi studium singularum virtutum, ut cujusque pulcritudini hæreamus, is profecto Guyoniæ, atque Molinoso magis quam Petro, & Paulo consulit.

II. Pet. I. 5. 6.

SE-

SECTIO IV.

Quartus error de quinque amoribus, deque falso amore puro.

CAPUT I.

Quæstio, an quinque amores ab auctore definiti, sint actus, vel status.

1. Jam quæstionem omnem de Quietismo redivivo expeditam putaremus, neque adderemus quidquam nisi e re esset, ut retegerentur principia, quibus auctor in errorem deduci nos voluit.

2. Quinque amorum scholis inaudita, & ad arbitrium conficta divisio, ad errores quietisticos viam sternit falsis definitionibus, quas, ut jam notas, sive ex ipso libello repetendas, supponimus.

3. Has ut tueatur D. Cameracensis, suæ causæ præsidium reponit in eo, quod quinque illi amores sint status non actus. Næ ille in valde exigua re vim magnam collocat. Ultro enim confitebor hic agi de quinque statibus, sed per suos actus, ut fit, definitis: quo definitiones in actus magis quam in status cadunt. Sic in amore judaico, rerum terrenarum cupido prius actum quam statum afficit. Sic actus amoris, qui puræ concupiscentiæ dicitur, prius est sacrilegus, atque impius, quam ipse status. Sic denique amor spei, qui est tertius, prius actu quam statu constat. Huc accedunt egregiæ, ac invictæ rationes, quibus Dominus Carnotensis pessimam evasionem præcludit.

Rép. à la décl. p. 8. Inst. past. p. 6.

Lett. past. p. 14. 15.

CA-

CAPUT II.

De tertio amore, sive de amore spei: auctoris errores.

1. His positis consurgit de amore spei auctoris

Decima-Septima propositio.

p. 4. 2. Tertius amor, *qui est amor spei non est omnino mercenarius*; (interesse:) *est enim mixtus amore Dei propter se: sed motivum præcipuum, & dominans:* cui connexa est

Decima octava propositio.

p. 14. 3. *In amore spei motivum propriæ felicitatis prævalet motivo gloriæ Dei.*

4. Error maximus, quo docet in theologica virtute, hoc est in amore spei prævalere rem creatam, nempe felicitatem nostram, bono divino, nempe gloriæ Dei, quo continetur aliquid increatum, nempe Dei majestas, ac dignitas. Qua sententia evertitur spes theologica, ut est Declaratione positum.

Declar. 3. ep. post. edit. p. 258.

5. Alter error, *amorem spei non esse penitus mercenarium* (interesse:) *eo quod sit mixtus initio amoris Dei propter se:* hoc est initio amoris caritatis: sive ut Instructione pastorali ponitur: *actus spei includit amorem Dei ut boni supremi:* quod est caritatis, cum amor Dei, ut boni supremi, non possit non esse amor *præferentiæ:* alioqui non esset amor boni ut supremi. Hinc autem fit, ut spes theologica

Inst. past. p. 7.

ca

ca sine quodam saltem initio caritatis esse non possit: quod est falsissimum, cum omnes theologi uno ore sentiant, caritatem quidem non sine fide & spe: sed fidem ac spem sine caritate esse posse, contrariamque sententiam reputent erroneam.

6. Sic deficit in illa divisione quinque amorum: amor spei theologicæ, ipse quidem bonus, & a Spiritu Sancto infusus, etsi ab amore caritatis separatus: unde illa divisio inadæquata & falsa, licet ab auctore fundamenti loco posita.

CAPUT III.

In duas propositiones præcedentes notæ contra amorem naturalem auctoris, ac novam motivi significationem.

1. Ludit omnino nos D. Cameracensis, cum commodum proprium vult esse amorem humanum, ac naturalem sui. Contra primo, in amore spei, quæ est virtus theologica, & mere supernaturalis, prævalere non potest motivum creatum: atqui commodum proprium amori spei prævalet. Ergo proprium commodum non est motivum creatum.

2. Contra secundo: motivum proprii commodi, quod in amore spei dominatur (p. 4.) idem omnino est ac motivum nostræ felicitatis: (p. 14.) atqui motivum nostræ felicitatis in spe theologica non est aliquid naturale, sed supernaturale: alioqui spes theologica non esset spes theologica, sed aliquid naturale motivo naturali nixum, quod est Pelagianum. Ergo commodum proprium in spe theologica non est aliquid naturale.

Max. p. 4.
Ibid. p. 14.

3. Jam

Inst. past. p. 10.

3. Jam quod Cameracensis ita interpretatur *motivi* vocabulum, ut non sit aliquid extra alliciens, sed internum impulsivum, sive agendi, & amandi principium, æque erroneum est, ac Pelagianum. Motivum enim, sive impulsivum interius amoris spei non potest esse aliquid naturale, quale impulsivum illud esse fingitur: neque nostra felicitas, aut ipsa Dei gloria est movens principium, sive impulsivum interius, sed externum. Totum ergo quo nituntur D. Cameracensis explicationes, vanum est; manetque sensus contrarius, qui fatente auctore est erroneus, & pessimus.

Ibid. p. 9. 10. 11.

4. Omnino enim recordari nos oportet id quod dicit auctor: scilicet in libro de doctrina sanctorum, *absque novis suis explicationibus, de pagina ad paginam, de linea ad lineam, scatere omnia ineptiis, atque insaniis*, ut etiam alibi annotatum est.

1. Lett. à M. de Meaux, p. 46. Rép. à 4. Lett. p. 28.

CAPUT IV.

De quarto amore.

Decima-nona propositio.

Max. p. 6.

1. *Datur amor caritatis adbuc mixtus reliquiis commodi proprii* (interest propre) *qui est verus amor justificans, eo quod motivum gratuitum* (desinteresse) *in eo dominetur:* cui æquivalet ista

Vigesima propositio.

Ibid.

2. *Is amor Deum quærit propter se, eumque omnibus rebus nulla excepta anteponit:* rursus: *nec felicitatem suam quærit nisi propter Dei gloriam.*

Vi-

Vigesima prima propositio.

3. *Hæc vera caritas nondum est pura, hoc est, nondum est impermixta* (sans aucun mélange). f. 8.

Vigesima secunda propositio.

4. *Quartus amor, sive caritas adhuc mixta cuidam motivo commodi proprii relato, & subordinato ad motivum principale, ad finem ultimum, qui est pura gloria Dei, deberet nominari amor caritatis mixtæ: sed cum hunc amorem assidue opponere debeamus amori puro, sive ab omni commodi ratione absoluto, huic amori dare cogor nomen amoris mercenarii, sive commodo studentis* (interessè), *quia adhuc mixtus est reliquiis commodi proprii, quamquam est amor, quo Deus nobis ipsis anteponitur.* ibid. f. 14.

5. Ex his liquet amorem caritatis veræ, ac justificantis, quo Deum nobis, rebusque omnibus anteponimus, (prop. 19. & 20.) non esse purum (prop. 21.), sed mixtum (prop. 22.); contra quod omnis schola definit amorem caritatis veræ, ac justificantis esse gratuitum.

6. Quod autem passim respondet auctor agi de statu non de actu: redit solutio supra allata (cap. 1. n. 3.) de statu quidem agi, sed definiendo per actus; ita ut actus magis definiatur quam status. Revera enim actui convenit, ut sit justificans, ut in eo prævaleat motivum gratuitum (*desinteressè*) ut Deum rebus omnibus, sibique anteponat: ut felicitatem non nisi propter finem ultimum, ac puram Dei gloriam quærat: quæ quidem statui caritatis justifi-

cantis competunt, sed ideo vel maxime quod competant actui; unde ille status, tota schola consentiente, debuit appellari amoris gratuiti, ac puri, ab actu principali quem elicit: nec sine errore mercenarius, ac mixtus appellari potest.

7. Si enim ideo mixtus, ac mercenarius dicitur, quod sit spei conjunctus, sequitur ut quinti gradus amor pariter mixtus sit, ac mercenarius; quippe spei æque conjunctus, ut fides catholica docet, ac mox declarabimus.

CAPUT V.

De quinto amore sive puro D. Cameracensis æquivocationes.

1. Hic demonstrare aggredimur id quod de amore puro Cameracensis obtendit mera æquivocatione constare, & amorem purum quintum qualem ille definivit, nulli nisi ipsi agnitum, & probatum: cum autem hac in re vel maxime, totius libri ratio contineatur, ut omnia tradantur enucleatius, geometrico more procedemus. Sint ergo istæ definitiones, ac postulata nostra.

Definitio prima.

2. Purum, sive gratuitum amorem nos hic non eum dicimus quem tota schola agnoscit amorem caritatis pro objecto specifico, sive primario habentis Deum in se consideratum; hoc enim sensu omnis actus amoris, sive caritatis purus est, & gratuitus: ac de eo nulla est litigatio.

Di-

Definitio secunda.

3. Hic amor caritatis est ille quem auctor quarto gradui assignat, estque is qui Deum nobis, nostrisque commodis, ac rebus omnibus anteponit, nec felicitatem suam quærit nisi propter Dei gloriam (prop. 19. 20. 21. 22. cap. superiori n. 1. 2. 3. 4.): is amor revera purus est, & gratuitus, sed non est ille amor purus, quem toto libro Cameracensis intendit.

Max. des SS. p. 6. Ibid. 8.

Definitio tertia.

4. Amor purus in quem toto libro Cameracensis intendit, est is qui hunc prætergressus, quinto gradui ab auctore assignatur: definiturque *amor Dei propter Deum solum in se consideratum, nulla mixtione mercenaria, neque metus neque spei.*

Ibid. 10. 15. Ibid.

Postulatum.

5. Petimus concedi nobis verba, sive locutiones auctoris stricto, & ut ajunt, rigoroso, hoc est, proprio sensu esse intelligenda. Concessum ab auctore, cum ultro spoponderit se sublaturum æquivocationem omnem, & rem deducturum ad rigorem theologicum, & ad exactas definitiones. His positis statum quæstionis facile & clare ponimus.

Max. des SS. avert. pag. 25. 26. 27. 28.

CAPUT VI.

Ex his status quæstionis.

1. His positis plane oportet ut concedatur nobis, quinto amori, sive amori quinti gradus secundum

auctorem inesse debere aliquid excellentius, quam ut Deum sibi, rebusque omnibus anteponat, nec nisi propter Dei gloriam felicitatem quærat. Id enim amori quarti gradus competit, quo hic longe præstat.

2. Atqui amore illo, qui quartus appellatur, nihil excellentius fingi potest, quam ut spei metusque nulla prorsus ratio habeatur.

3. Fac enim in illo quinto gradu aliquam haberi spei, sive salutis, ac felicitatis æternæ rationem; tunc nihil potest esse melius, quam ut spes felicitatis non nisi ad Dei gloriam referatur. Hoc autem jam competit amori quarti gradus: Ergo amori quinti gradus nihil superest acquirendum, quam ut spei felicitatis æternæ nullus relinquatur locus, hujus nulla usquam ratio habeatur. Atqui hoc merum figmentum est, quo spei theologicæ vis omnis extinguitur. Ergo is est pessimus quinti amoris fructus, ut spei vim extinguat; repugnante scriptura; ac dicente Apostolo; *nunc autem manent tria hæc fides, spes, caritas.*

4. Hæc igitur auctoris summa doctrinæ est, nec deest aliud quidquam, nisi ut ex ejus verbis propositiones ex his ductæ contexantur, quod nunc nobis præstandum est.

CAPUT VII.

Doctrinæ præcedenti aptæ auctoris propositiones contrariæ Apostolo, & concil. Trident.

Vigesima-tertia propositio.

Max. p. 18. 1. *Neque pœnarum metus, neque desiderium mercedis in hoc amore* (quinti gradus) *ullam habent par-*

partem: stricte loquendo (ex postulati nostri ratione supra cap. 5. n. 5.) erroneum. Nullam enim partem habere generatim dictum, ita intelligitur, ut salutis desiderium, sive spes theologica, nihil conferat ad amorem, neque ullum in iis sit amandi incentivum, nulla illecebra, sive ratio illiciens, ac movens. Hoc autem erroneum est, & clare adversatur dicenti Apostolo: *finis præcepti caritas*, quo omne præceptum, adeoque spei theologicæ, ac desiderii salutis comprehendi negat nemo.

1. Tim. 1. 5.

2. Adde quod ea propositio proscribitur expresso decreto concilii Tridentini clare definientis, omnes justas animas *intuitu mercedis æternæ*, & *suam ipsorum socordiam* (post peccatum originale innatam omnibus) *excitari*, *seque cohortari*, *ut in stadio currant:* quod etiam ad animas perfectissimas pertinere, Moysis, ac Davidis exempla in eodem decreto allata demonstrant.

Sess. VI. cap. 11.

3. Ex his igitur claret, de fide esse, quod mercedis, ejusque maxime quæ Deus est, sive divinæ possessionis intuitu, animæ etiam piæ, ac perfectæ saltem magis accendantur ad amandum Deum amore caritatis.

4. Quare verum quidem est, caritatem non sistere in salutis desiderio, sed illud referre ad Dei gloriam, ut est dictum (definitione 2. cap. 5. n. 3.) ut autem universim dicatur desiderium salutis nullam partem habere in amore Dei, neque saltem motivi cujusdam excitantis, sive incentivi, incitamenti, rationis illicientis loco esse, proprie ac stricte loquendo, ut ex postulato nostro supra memorato, ver-

ba auctoris sumi debent; erroneum est, & apostolico dicto, conciliique Tridentini decreto contrarium.

Vigesima quarta propositio.

5. Sequitur auctor: *non jam diligitur* (*Deus ab illis animabus*) *neque meriti, neque perfectionis, neque felicitatis, quam amando inveniant causa:* eodem modo erroneum est, & Apostolo, concilioque Tridentino contrarium. Congruit autem Guyoniæ. (sup. sect. 1. cap. 1. n. 3. 4.)

Ibid. pag. 10.

6. Rursus de duabus illis propositionibus quæro: an de habitu sive statu perfecte amantium proferatur illud, *nullam habere partem*: an de actu amoris puri, sive quinti gradus. Si de habitu, vel statu, ut passim auctor postulat, aperta est hæresis, excludens a toto statu salutis desiderium: quippe quod ad hunc statum nihil conferat. Sin autem de amore actuali loquitur auctor, valet censura (in hoc capite ad propositionem 23.) posita (n. 3.), & (ad hanc propositionem 24.) repetita.

CAPUT VIII.

Alia propositio ad eumdem finem spectans.

Vigesima quinta propositio.

Max. des SS. p. 11.

1. Subdit auctor: *tantumdem amaretur Deus, etiamsi per suppositionem impossibilem ignoraturus esset se amari, aut etiam vellet miseros facere qui eum dilexissent*: quæ verba proprie & stricte, uti de-

debent (ex postulato nostro) sumta, significant nullis Dei beneficiis, nec ipsa Dei visione amorem incendi posse: contra quod demonstratum est ex traditione patrum, & ex claris evangelii locis ad fidem pertinere, in libello cui titulus: *Schola in tuto*, (q. 12. art. 8. & 9. n. 218. 219. 220. 221. 222.)

2. Neque excusari potest auctor ex quibusdam forte similibus, sive affinibus piorum virorum dictis; eo quod ibidem demonstratum sit, locos eos esse interpretandos per pium quemdam excessum, piamque hyperbolen: quam stricte sumi, & ab auctore in regulam verti, ratio fidei non sit.

3. Ex his autem confirmatur secundum dicta sanctorum id quod sæpe diximus: motiva caritatis inter se ordinari posse, ita ut ediscamus aliud alio prius aut majus esse; non autem aliud ab alio separari oportere.

4. Confirmatur etiam error auctoris pro certo principio, sive decreto statuentis in amore puro, nullam beneficiorum Dei, sive præcedentium, sive futurorum; nullam divinæ bonitatis quatenus benefica est, haberi rationem: quod notari volumus, ut quod & per sese sit pessimum, & pessima suo loco observanda inducat: atque hæc de quinque amoribus, ac de amore quinto, sive puro, ad mentem auctoris ibidem constituto, dicta sint: nunc ad ejusdem auctoris articulos procedamus.

SECTIO V.

Aliæ propositiones ad eumdem finem spectantes ex articulis libri D. Cameracensis.

CAPUT I.

Ex articulo secundo demonstratur separari virtutem movendi, sive excitandi, ab æterna salute.

Vigesima-sexta propositio.

Ibid. pag. 26.

1. Qui *puro amore diligit nulla commodi proprii mixtione, non excitatur sui commodi motivo*: id autem est a *commodo suo*, quo etiam salus æterna continetur, arcere excitandi, sive movendi vim. Unde pergit: *non vult beatitudinem, nisi quia scit & Deum eam velle, & velle ut velimus, ad ejus gloriam*: quo efficitur, ut nostra beatitudo, salusque per sese suaque insita bonitate jam nos nullatenus moveat. Firmat ex sequentibus: *si per casum, qui propter promissa mere gratuita est impossibilis, vellet Deus ad nihilum redigere animas justas in ictu mortis corporalis, vel eas privare visione sui, aut eas tenere æternaliter in tentationibus, miseriisque hujus vitæ, ut supponit Augustinus, aut eis procul a se imponere sempiternas inferni pœnas, ut sanctus Chrysostomus post sanctum Clementem Alexandrinum supponit, animæ hujus status, puri amoris, non amarent Deum, neque servirent Deo minus fideliter.*

Max. p. 27. 28. Ibid. 28.

Vigesima-septima Propositio.

2. *Quæ non possunt separari ex parte objecti* (nempe beatitudo a Deo amato cum finali perseverantia), *respectu motivorum, realissime separari possunt.* Ibid. 21.

Vigesima-octava Propositio.

3. Subdit: *non potest Deus non esse beatitudo fidelis animæ: sed illa eum potest amare amore tam gratuito,* (desinteressè) *ut nec intuitus Dei beatifici quidquam augeat amorem Dei in se considerati nulla cogitatione sui: ac tantumdem amaret si numquam futurus esset beatitudo sua.* Tres postremæ propositiones, quia coincidunt cum 23. 24. 25. eadem censura dignæ sunt. Horum error est in τῷ magis: nempe quod auctor asserat: animas perfectas non magis amare, sive non magis incendi ad amandum, Deoque ex amore serviendum, ex quovis Dei etiam visi, ac beatifici intuitu: quod in nullo sanctorum, quos auctor allegat, invenitur. Ergo concedimus quidquid Deus sive per possibile, sive per impossibile nobis imponat, eum amandum, ei amore serviendum esse: ut autem nullo Dei etiam visi beneficio magis magisque anima etiam perfectissima se se ad inflammandum, sive ad firmandum amorem cohortetur, & nullus sanctorum dixit, & est erroneum ex antecedentibus, & ex concilio Tridentino reprobatum expresso decreto, quod supra retulimus (prop. 23.)

Ibid.

Sup. sect. 4. cap. 1. & 9.

Sup. sect. 4. cap. 1. n. 2.

CA-

CAPUT II.

Ex his solutio locorum Patrum: Sanctorum securitas: his congruunt Scholastici.

De Civ. Dei 21. 15.

1. Locus Augustini pro exemplo sit: postea quam enim statuit spe pacis æternæ adversus vitia certandum, subdit: *sed si, quod absit, illius tanti boni* (pacis æternæ) *spes nulla esset, malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quam vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere*. Vides Augustinum docere, vitio quidem repugnari oportere, etiam si pugna sanctæ caritatis cum vitiosa cupiditate foret perpetua; non autem negare, caritatem hinc magis incitari ad pugnam, si spes sempiternæ pacis affulgeat.

Lib. 4. Strom.

2. Clemens autem Alexandrinus docet, si salus, & caritas separari possent, anteponi oportere caritatem: non vero docet eam majorem, aut firmiorem non futuram, si salutis æternæ, hoc est Dei habendi, & possidendi, intuitu accendatur: quod esset erroneum.

Hom. 15. & 16. in Rom.

Schol. in tut. q. 011. art. 2. nu. 105.

3. Chrysostomus vero docet quidem, si fieri posset Paulum a Christo libenter anathema futurum pro salute Judæorum: *hoc securus dicebat* præ desiderio Christi, tanto scilicet ejus cupidior, quanto ut gloriam suam in Christo, ita amorem augeri per hoc quoque anathema sentiebat.

Vict. vit. lib. 5. cap. 4.

4. Profert Cameracensis ex persecutione Vandalica s. Victorianum martyrem clara voce profitentem, etiam subtracta spe æternæ vitæ fidelem se creatori futu-

futurum. Quorsum ista? non enim sanctus martyr propterea ab amore motivum spei separat, aut inutile prædicat ad accendendum amorem, cum subdat; *Securus sum de Deo Christo, & Domino meo:* qua voce declarat se promissorum fide ad martyrium, hoc est, ad eam caritatem, qua, ipso Domino teste, nulla potest esse major, excitari. *Ibid.*

5. En ubique apud sanctos illa securitas, quam sæpe inculcavimus. En Afer Victorianus ejusdem securitatis a s. Augustino Africæ speciali doctore explicatæ memor: de qua securitate vide id quod alibi monuimus. *Sch. in tut. q. 12. art. 2. nu. 195. 196.*

6. Ejusdem securitatis testis Cassianus de Pauli anathemate; *securus optat interire pro Christo:* en illa securitas, quæ promissis nixa, & excitata se ad exhibendam Christo perfectissimam caritatem adhortatur. *Coll. 9. cap. 18.*

7. Ut addamus & scholasticos, eosque antiquissimos: Scotum audivimus post *circumscriptam ab objecto primario caritatis, commoditatem ad amantem*, ne tamen cetera motiva sive incitamenta ad excitandam caritatem minus valere viderentur, induxisse *secundarias objectivas rationes amantis, redamantis, ac beatifici Dei, in quantum est bonum communicativum sui nobis, ex specialis amabilitatis intuitu allicientes ad amandum.* *Sch. in tut. q. 4. art. 1. nu. 81. & seq.*

8. Videantur hanc in rem loci a D. Carnotensi allati: Durandi admittentis respectum etiam ad bona temporalia tamquam *adminiculativum* ad caritatem: *in quantum omne bonum addito alio bono redditur eligibilius:* iterum; *in amicitia civili potest* *Lett. past. p. 20. 21.* *In 3. dist. 29. q. 1. in fin.* *Ibid.*

ha-

haberi respectus ad dilectiones, & utilitates quæ ex amicitia consequuntur, dummodo non habeatur ad eas respectus principaliter: Gabrielis: *multæ sunt rationes diligendi: prima, & perfectissima, bonitas Dei;* Denique, *secundum quod plures, vel potiores rationes communicabilitatis concurrunt in uno diligibili, secundum hoc magis diligendum affective:* Majoris: *licet Deus secundum bonitatem intrinsecam sit ratio objectiva caritatis, tamen esse creativum, & nos creasse, & redemisse, & glorificare, sunt causæ allectivæ minus principales ad hoc, quod Deum diligamus* &c. quæ Scoto concinunt.

In 3. dist. 30. q. un. con. 6.

In 3. dist. 27. q. 2.

9. Ipse Carnotensis, unus omnium professus, vel maxime se fuisse, & esse communioris in schola sententiæ defensorem circa motiva specificativa caritatis & spei: tamen cum ceteris theologis addit, *motiva particularia virtutum esse excitativa puri amoris*. Cui rei comprobandæ profert s. Thomæ locos a nobis etiam alibi memoratos.

Lett. past. p. 17. 19.

Ibid. p. 8. 10.

Sch. in tut. q. 3. art. 2. & seq. q. 5. art. 6. ibid. q. 3. art. 6. & seq.

10. Huic adjunximus & s. Bonaventuram, & e recentioribus Suarem: ex mysticis quoque Rusbrokium & Harphium: ut schola omnis, omnes mystici in eam sententiam uno ore consenserint; ac si qui a communi omnibus sententia, verbo magis quam re nonnihil declinasse videantur, ad eam benigna interpretatione revocentur.

Ibid. q. 7. art. 5.

Ibid. q. 4. art. 9.

11. Est enim evangelicum, & ex ipso caritatis præcepto ductum illud, *diliges Dominum Deum tuum:* & istud: *hoc fac & vives:* & hoc: *ut bene sit tibi:* nihilque est absurdius, quam a caritatis motivis arcere, quæ ipso mandato caritatis continentur.

CA-

CAPUT III.

Idem probatur & art. 3.

Vigesima nona Propositio.

1. *Relinquendæ sunt animæ in exercitio amoris adhuc mixti commodo proprio, quamdiu attractus gratiæ ibi relinquit eas.* p. 11.

Trigesima Propositio.

2. Sequitur: *hæc motiva reverenda sunt.* Ibid.

Trigesima prima Propositio.

3. Pergit: *diffusa sunt ea motiva omnibus scripturæ libris: pretiosissimis quibusque traditionis monumentis: & omnibus ecclesiæ precibus.* Ibid.

Trigesima-secunda Propositio.

4. Postea: *utendum est his motivis ad comprimendas cupiditates* (les passions) *ad firmandas virtutes omnes: ad abstrahendas animas ab omnibus vitæ præsentis illecebris* (sive objectis.) Ibid.

5. Ex his demonstratio: motiva *reverenda* commodi proprii: motiva commodi proprii tota scriptura, traditione, precibus ecclesiasticis fusa; motiva adhibenda ad comprimendas animi perturbationes, ad virtutes exercendas, ad conculcandum præsens sæculum; nihil sunt aliud quam ipsa motiva spei christianæ ex divinis promissionibus ubique inculca-

ta,

ta, quæ a nullo statu nisi ex errore manifesto eoque gravissimo, tolli possunt; atqui ea motiva; qualia hic adducta sunt in perfectionis statu, ab auctore tolluntur: (ex prop. 29.) ergo ille perfectionis status, qualis ab auctore fingitur, erroneus est.

6. Hæc autem tam reverenda, tam ubique inculcata motiva ad affectus naturales trahere, nihil est aliud quam toti orbi illudere, ac patribus, ecclesiasticis precibus, ipsique scripturæ vim apertam inferre.

7. Quin auctor id excusationis loco afferens, contra seipsum pugnat. Articulo enim tertio falso, inter falsa ponit istud: *perfectis animabus detrahere oportet desiderium cælestis patriæ, ac recidere motiva interessata spei*. Ergo pro vero est, conservanda *motiva spei:* quibus, inquit, *eversis, contemtui sunt fundamenta justitiæ christianæ*. Ergo motiva illa *interessata* spei, justitiæ christianæ fundamenta sunt: atque adeo non naturalia, sed supernaturalia: quo uno dicto affectus naturalis explicatio plane tollitur.

p. 17.

CAPUT IV.

Idem conficitur ex articulo quarto.

Trigesima-tertia propositio.

Max. pag. 40.

1. *Sanctus Franciscus Salesius, qui excludit tam formaliter omne motivum interessatum ab omnibus virtutibus perfectarum animarum, vestigiis inhæret ss. Augustini & Thomæ.*

Tri-

Trigesima-quarta Propositio.

2. *Non hic ergo quærenda spes est, per motivum interessatum exercita.* Qua voce *motivi* scilicet *interessati* intelligitur motivum Dei, ut est nobis bonus: unde subdit: *objectum formale spei est bonitas Dei, ut est nobis bona:* quod objectum non potest non esse motivum. Ergo error auctoris est, quod illud objectum *divinæ bonitatis, ut est nobis bona*, jam movere cesset; cesset esse motivum, ut etiam sequentia declarabunt.

Ibid. 41.

Ibid. 42.

3. Neque hic recurrendum est ad affectum naturalem, qui pro motivo *interessato* habeatur, cum ab eodem auctore (capitis antecedentis n. 7.) motiva interessata spei sint supernaturalia, quippe quæ fundamenta sint justitiæ christianæ.

Trigesima-quinta Propositio.

4. *Una superest difficultas, quomodo anima ad plenum ab interesse absoluta* (desinteressèe) *possit velle Deum, ut est suum bonum*, quæ difficultas ita expeditur: *vult Deus ut velim Deum, quatenus est meum bonum, mea felicitas, mea merces: eum volo formaliter sub hac præcisione, sed non eum volo eo motivo præciso quod sit meum bonum.* Subdit: *objectum, & motivum differunt; objectum est meum commodum: sed motivum non est interessatum, quando quidem nihil aliud spectat quam Dei beneplacitum.* Id autem aperte est tollere motivum spei, quod est ipsum commodum salutis æternæ, nec aliud motivum relinquere perfectis animabus, quam ipsius

Ibid. p. 44.

cari-

caritatis: quod est verbo tenus retinere spem, & objectum ejus; re autem, vim ejus omnem tollere. Unde

Trigesima-sexta Propositio.

Ibid. p. 40. 5. *Id volo quod est revera meum maximum commodum*, (interest) *& ut tale est a me agnitum, absque eo quod motivum ipsum commodi studiosum* (interessè) *ad id me determinet*: quo aperte negatur ipsius *maximi commodi*, id est ipsius salutis æternæ rationem valere quidquam, ut ad agendum animus impellatur: ex quo ulterius inducitur illa separatio, qua ab objecto spei, quod est commodum, vis movendi, sive excitandi separetur: quod iterum atque iterum nihil est aliud, quam ipsam spei rationem, verbis licet defensam, revera extinguere.

CAPUT V.

Ex art. 5. ubi de resignatione, & indifferentia ex s. Francisco Salesio.

Vid. myst. in tuto, n. 216. usque ad 226. 1. Hæc autem ut radicitus amputentur, & ad imum usque veritas elucescat, repetenda discrimina resignationis, & indifferentiæ a s. Francisco Salesio mutuata, quibus totus liber nititur. Sit ergo auctoris

Trigesima-septima Propositio.

Man. pag. 40. 2. *Duo sunt status justarum animarum. Primus sanctæ resignationis, in quo anima vult aut vellet multa sibi ex motivo sui proprii commodi*: (son

pro-

propre interest) *itaque a s. Francisco Salesio habere adhuc dicitur desideria propria interessata, sed submissa voluntati Dei, quam suis commodis* (à son interest) *anteponit : alter status est sanctæ indifferentiæ, in quo statu anima nihil vult ex motivo sui proprii commodi* (par le motif de son propre interest) : *neque habet submittenda desideria interessata, quia nullum habet amplius desiderium interessatum, sive commodi studiosum*.

Trigesima-octava Propositio.

3. Sequitur : *restant in anima proclivitates* (des inclinations) *ac repugnantiæ involuntariæ, quas submittit : sed nulla habet desideria voluntaria, & deliberata propter suum commodum, nisi in iis casibus, ubi non cooperatur fideliter toti suæ gratiæ*. Ibid.

Trigesima-nona Propositio.

4. Pergit : *anima indifferens cum suam implet gratiam nihil vult, nisi propter Deum solum, & quomodo Deus ut id velit efficit per suum attractum*.

5. Hæ propositiones duobus modis considerandæ sunt : primum in seipsis ; secundo per respectum ad B. Salesium ex quo referuntur.

6. In se consideratæ erroneæ sunt, cum ex his constet, animas indifferentes, sive perfectas nihil jam deliberate velle sibi, sive ad suum commodum. Ergo excludunt omnem voluntatem deliberatam, qua volunt aliquid sibi, sive ad commodum illud. Atqui spes est voluntas deliberata, qua anima vult aliquid

sibi commodum, nempe salutem æternam. Ergo ex his propositionibus spes tollitur.

7. Confirmatur ex illis verbis: *exceptis iis casibus in quibus anima non cooperatur toti suæ gratiæ, neque eam totam implet*. Ergo animæ perfectæ gratia excludit omne commodi desiderium: salus autem æterna est nobis commoda, utilis, proficua, & in nostrum emolumentum vergens. Ergo gratia perfecti status salutis excludit desiderium.

8. Jam quod attinet ad B. Salesium, qui hic testis adducitur: locus in quo hæc ex professo tractat, unus est, ductus scilicet ex libro de amore Dei 9. cap. 3. & seq. Atqui constat, ut sæpe demonstravimus, eo loci agi tantum de eventibus temporalibus, ac mutabilibus hujus vitæ; de æterna salute nihil quidquam: quod si quid de ea subditur, non de salutis substantia, sed de dilatione agi, occasione Pauli, ac Martini consentientium ad protrahendam mortalem hanc vitam pro fratrum salute: aliud autem est, consentire dilationi ex spe procurandæ fraternæ salutis; aliud, ad rem ipsam indifferenter se habere. Ergo Salesius numquam eam suasit indifferentiam pro qua testis adducitur.

Am. de Dieu, liv. 9. ch. 3. &c.

Inst. sur les états d'or. liv. 8. n. 8. 10. p. 285. 287.

9. Id autem sæpius objecimus, auctoremque interpellavimus, ut si quid contrarium Salesius aliquando memorasset, clara voce testaretur: ad quæ ille obmutuit, nihilque aliud quam eosdem sancti viri locos jam solutos attulit. Sit ergo certum, propositiones supra dictas, & per sese esse erroneas, & nulla Salesii auctoritate fultas.

Inst. sur les états d'or. Ibid. Avertiss. n. 27. p. 27.

CA-

CAPUT VI.

Aliud ex eodem cap. 5.

Quadragesima Propositio.

1. *Anima nihil vult sibi, sive propter se: sed vult omnia propter Deum:* quod est contra spem volentem sibi salutem: eamque volentem *propter se*, non tamquam esset sola sibi finis ultimus; sed relato desiderio ad Dei gloriam. Ibid. p. 51.

Quadragesima prima Propositio.

2. *Anima nihil vult, ut perfecta ac beata sit propter suum commodum:* æque falsum, & contrarium spei; quæ vult beata esse propter suum quidem commodum, sed accendente caritate in ulteriorem finem relatum. Nec spem restituit auctor addendo; *animam velle perfectionem omnem, atque omnem beatitudinem, quatenus Deo placet, ut nos hoc velle efficiat instinctu gratiæ*. Neque enim id velle eo quod Deo id placeat, impedimento est quominus idem nobis quoque, ac propter nos velimus affectu subordinato, ut dictum est. Elucescit autem error ex sequenti propositione.

Quadragesima secunda Propositio.

3. *In hoc statu anima non jam vult salutem ut est salus propria, ut æterna liberatio, ut meritorum merces, ut commodum maximum. Rursus: verum est tantum animam non velle salutem, ut est nostra* Ibid. p. 52.

Ibid. p. 44. *merces, nostrum bonum, nostrum commodum*. Quæ sunt erronea, & exclusiva spei, cum, ipso fatente auctore, spes velit Deum *in quantum est*, inquit, *bonum meum, mea felicitas, mea merces*. Quæ quidem si inter se claris verbis pugnant, nihil mirum, cum falsa doctrina non possit sibi esse consentanea.

CAPUT VII.

Aliud ex art. 16. ubi de proprietate.

Quadragesima-tertia Propositio.

Max. pag. 114. 1. *Secunda proprietas imperfecta, sed innocua, est amor propriæ excellentiæ, ut est nostra, sed cum subordinatione ad finem essentialem, qui est Dei gloria: non volumus virtutes nisi perfectissimas: eas propter Dei gloriam præcipue volumus: sed eas tamen volumus, ut earum, & meritum & mercedem habeamus*. Ubi ad imperfectionem refertur, quod velimus virtutes perfectissimas, propter Deum etiam, idque præcipue: quare nihil aliud perfectis reservatur, quam ut eas nullo modo velint ut excellentiam sive perfectionem suam, & ut meriti, mercedisque causam; unde clarius & expressius:

Quadragesima-quarta Propositio.

Ibid. 115. 2. *Sunt eæ virtutes minus perfectæ iis, quas sancta indifferentia exercet propter solam Dei gloriam, sine ulla proprii commodi ratione, nec propter meritum, nec propter perfectionem, nec propter mer-*

ce-

cedem, etiam æternam. Quo motiva spei etiam subordinata excluduntur; & ad imperfectas animas ablegantur.

CAPUT VIII.

Aliud ex articulo 12. de amore sui: & an perfectis animabus non alia amandi causa sit quam ipsa Dei voluntas seclusis motivis proximis.

Quadragesima-quinta Propositio.

1. *Illæ animæ sibi ipsis velut extraneæ sunt; nec se jam diligunt, nisi eo ritu, modoque quo ceteras creaturas diligunt puræ caritatis ordine: sic enim sese Adam innocens dilexisset unice propter Deum.* Ac postea: *ergo perfectio puri amoris in eo consistit, ut ne nos jam diligamus nisi propter ipsum Deum.* Et quidem tam exacta, tam accurata, &, ut ejus verbis utar, tam *rigorosa* pollicitum, ita caritatem ordinare oportebat; ut se quidem & proximum anima diligeret propter Deum, quod omni animæ justæ etiam extra perfectionis statum competit: non sit tamen ut non nisi propter Deum, quod auctor perfectis reservat animabus; quasi tota amandi ratio esset ipse Deus; animæ vero etiam sanctæ nulla propria inesset amabilitas.

Maxi pag. 100. 101.

2. Neque obstat quod auctor eam agnoscere videatur, dum in anima diligendam proponit imaginem Dei, & in quovis Dei opere propriam bonitatem, quæ etiam in se amandi causam præbeat. Non, inquam, id obstat: nam cum id tribuat imperfectis animabus, perfectis sublimius quid relinquat

Ibid.

oportet, ut animæ quidem justæ, sed imperfectæ se in se, licet propter Deum, diligant; perfectæ vero id addant, ut non nisi propter Deum, tamquam una Dei amabilitas, seclusis motivis proximis, etiam subordinatis, totum amorem alliciat. Alioqui inter imperfectas, perfectasque animas nihil erit discriminis.

3. Quod ergo perfecta anima sibi velut *extranea* sit, incredibile dictu est, quam male & incommode pronuntiatum sit. Neque valet ratio, quod quivis seipsum non alio ordine quam proximum diligat. Sibi enim quisque est proximus, & intimus: ratio autem diligendi sui extenditur ad proximum, qui est alter nos, nostrumque intimum membrum. Huc accedit, quod & nos & proximum ut rem Dei nobis intimi diligamus amore elicito ab ipsa caritate: quæ diligendi ratio justis omnibus communis est, ita ut & Deum, & proximum, & nos una caritate, duobus licet mandatis comprehensa, diligamus.

Max. art. 43. p. 114. 4. His concinunt ista: quod imperfectis animabus, & adhuc *proprietariis* concedatur, ut propriam excellentiam tamquam suam ex sancta resignatione diligant: perfectis, sive in sancta indifferentia positis reservetur, non modo ut amorem propriæ excellentiæ referant ad Deum ut ad finem principalem; verum etiam *ad propriam excellentiam* nihil attendant, *nec jam ullo commodo, ullo merito, ulla perfectione, ulla mercede, ac nequidem æterna moveantur.*

Max. p. 25. 26. 27. &c. 5. Hinc illæ apud auctorem frequentissimæ voces, ut beatitudo nostra unice propter Deum, nec nisi propter Deum diligatur, tamquam ex sese sit indifferens. Unde etiam usque ad illam sancta indiffe-

ren-

rentia protendatur: separenturque motiva, non autem ordinentur tantum, ut faciendum esse sæpe monuimus.

6. Neque huic obligationi nostræ satis auctor consulit, dum exclusivam hanc, *unice propter Deum*, & non nisi *propter Deum*, *aut propter Dei voluntatem*, ideo admittendam docet, quod Dei voluntas etiam illam inhærentem rebus convenientiam complectatur, & velit, adeoque & nobis volendam esse decernat. Cum enim illa rebus innata convenientia ad omnem pateat caritatis statum, redibit illud supra (n. 2.) memoratum, perfectos inter & imperfectos ab auctore agnitos nihil relinqui discriminis.

7. Neque obstant sanctorum loci, ubi interdum illa exclusiva quam auctor inducit, statui videatur: omnino enim postquam introducta est hæc quæstio, & in eo jam res erat, ut omnis æquivocatio tolleretur, decebat auctorem accuratiora, distinctiora, clariora, & ab omni ambiguo submota sectari.

C A P U T IX.

Radix erroris: Guyoniæ dicta.

1. Radix autem erroris est

Quadragesima sexta Propositio.

1. *Quod sancta indifferentia admittat generalia desideria non modo cognitarum, verum etiam omnium latentium voluntatum Dei*: ubi notandæ istæ voces: *generalia desideria*: & istæ: *omnium*, *latentium*

Max. pag. 61.

 licet,

licet, *Dei voluntatum*. En universim omnium quamvis sint latentissimæ: quibus voluntatibus etiam reprobationis & aliorum & suæ decreta continentur: & desiderium ad ea usque protenditur: ut est in nostra Declaratione positum.

Post. edit p. 261. 262.

2. Ex hoc autem dogmate id consequitur, quod est sæpissime ab auctore dictum, ut sancta indifferentia omne desiderium non modo subordinet, quod facit resignatio, sed etiam submoveat, & tollat; usque eo ut nec salutis æternæ votum relinquat integrum.

3. Ex quo pariter consequitur, ut si spes salutis insit, non jam tamen moveat ad ipsam quoque salutem indifferentes animas.

Max. p. 87. &c.

4. Ex hoc denique sequitur, ut infelix anima ex *persuasione invincibili*, *ac reflexa suæ reprobationis*, in eam, immo & *in justam condemnationem suam vero* & *absoluto sacrificio* acquiescat: sin autem vero sacrificio, ergo & voluntario, quidquid tergiversetur auctor. Neque enim erravit David dicens: *voluntarie sacrificabo tibi:* aut esse potest sacrificium quod non sit voluntarium. Quæ quantumvis absurda, & hæresim aperte sonantia, auctor tamen necessario tueri cogitur ex proposito tuendæ Guyoniæ inducentis animas, *ut se in indifferentia eousque collocent*, *ut nihil velint nisi illud quod Deus ab ipsa sua æternitate decreverit*, *sive de corpore*, *sive de anima*, *sive de temporalibus*, *sive de æternis*. Unde auctor adductus est, ut indifferentiam Guyoniæ exponeret, dicens quod *sancta indifferentia admittat generalia desideria*, non solum cognitarum, verum

Moyen court, § 6. p. 28.

verum etiam *omnium, ac latentium quoque voluntatum Dei*.

CAPUT X.

Alius locus ex Responsione ad Summam doctrinæ, ubi ad Scholam in tuto *lector remittitur*.

1. Neque quidquam adderemus, nisi D. Cameracensis post tot explicationes, immo tergiversationes Instructionis pastoralis, eo tamen necessario rediret, quo totius libri summa propendet; nempe ut allatis Ambrosii, & Chrysostomi locis, salutis desideria tollerentur hac propositione posita.

Quadragesima septima Propositio.

2. *Ut ut explicentur hæc salutis desideria, imperfecta a patribus habentur, qui ea perfectis animabus nec imperant, nec suadent*.

Resp. ad Sum. p. 5. Sch. in tut. n. 200.

3. Id vero hic uno verbo transigimus, atque in libro nostro cui titulus, *Schola in tuto*, tractata commonemus: quo etiam lectorem remittimus, ut præcisam, ni fallor, hujus quæstionis de salutis desiderio ideam, ac notionem informet.

Sch. in tut. n. 259. 260. &c. Ibid. n. 251. 254. 255. 256.

CAPUT XI. & ultimum.

Dictorum recapitulatio.

1. Ex his liquet auctorem totum in eo esse, ut immunem, sive independentem a spe, sive quod idem est a spei motivo, eique insita animos excitandi vi, statuat caritatis perfectionem.

2. Hinc efficitur, ut animus uni Dei perfectioni ut

in

in se est intentus, beneficiorum ejus, eorum etiam quibus ipse seipsum det nobis, sive antecedentium, sive præsentium, sive futurorum, ad amorem incitandum nullam rationem habeat.

3. Ex his consequitur, ut animæ perfectæ nihil caritati deteri aut deperire sentiant, si spem omnem abjiciant: quæ deinde pariunt teterrimum desperationis sacrificium, in quod collimare totum librum & sæpe diximus, nec satis pro merito inculcari posse dicimus.

4. Hæc autem & in se pessima sunt, & alia pessima inducunt, quæ nos jam commemorabimus.

SECTIO VI.

De aliis erroribus.

CAPUT PRIMUM.

Quintus error ad Quietismum pertinens circa contemplationem: Quietistarum placita.

1. Hic repetenda Quietistarum dogmata supra memorata de diligendo Deo independenter ab ejus benevolentia, ac beneficentia, & consequenter ab omni motivo salutis æternæ, ac spei christianæ: (supra sect. IV. & V.) ex quo consequitur, contemplationem, quæ maxime amore constat, ab his quoque omnibus independenter stare.

Sch. in tuso, n. 253. &c. 259. &c.

2. Hinc Molinosus contemplationem reponit *in fide amatoria* (amoureuse) *& obscura, absque ulla distinctione perfectionum, & attributorum*. Hæc illa est

Instr. sect. 12. p. 1. liv. 1. ch. 11. p. 44.
Ibid.

est *fides & cognitio generalis, & confusa*, in qua novi mystici contemplationem statuunt: usque adeo ut & Christus in ea, nedum sit necessarius, potius excludatur, ex hoc scilicet Molinosi principio, *quod non sint requirenda media* (Christus scilicet, ejusque mysteria) *cum deventum est ad finem*, nempe ad Deum sive ad divinitatem ipsam.

Ibid. sect. 2. n. 11. 21.

3. Malavallus vero ejusdem rei gratia suum actum confusum, & universalem inducit *sine ulla cogitatione distincta*. Unde etiam Deus purus *ita sit contemplationis objectum, ut nihil addendum sit simplici visioni Dei:* ac nequidem ipse Christus, aut personæ divinæ, *cum Deus unus in se ipso considerandus sit sine attributis, sine ulla notione, aut actione distincta, sed secundum essentiam*.

Mal. 1. p. p. 45. 2. p. 184. 218. 271.

Ibid. 221. 222. 224. 226. 228.

4. Pessime ergo, sed consequenter docet, eo quod Christus *sit via*, per eum *esse transeundum* non hærendum in eo; & veluti *lutum cadit, cœci apertis oculis, ita humanitatem excidere, cum anima divinitatem attigit*.

2. part. p. 54. 140. 150. 266.

5. His se, uti solet, Guyonia dat sociam, docens *animam refluentem ad Deum per contemplationem, ita in Deo esse perditam, & immersam, ut nulla supersit ejus cognitio distincta, quantumvis tenuis: pridem enim excidisse cujuscumque perfectionis distinctionem in Deo; neque quidquam in anima superesse, præter visum fidei confusæ, & generalis, nulla omnino perfectionum, aut attributorum notione distincta*.

Cant. ch. 4. 4. p. 141.

6. Addit hinc solvi difficultatem, *quorumdam spiritualium, vetantium cogitari de Christo aut ejus*

Cant. 1. v. 1. p. 4. 5. 6.

sta-

statibus interioribus, postquam anima pervenit ad Deum: eo quod hunc statum eadem anima transiliit; nec manet (Christus) *cum facta est unio essentiæ ad essentiam.*

Inst. sur les états d'or. liv. 1. n. 2. & seq. nu. 24. & seq. p. 18. &c. p. 68. &c.

7. Hæc autem repetenda duximus ex Instructione nostra super statibus orationis toto libro secundo, ac maxime locis ad latus allegatis.

8. Hinc inter 68. propositiones Molinosi invenitur ista 21. quæ sic habet: *in oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, & distinctionis attributorum Dei, ac Trinitatis:* ex qua, illa inducitur jam a nobis indicata propositio 35. de non eliciendis amoris actibus *erga sanctam virginem, sanctos, & humanitatem Christi, quia cum ista sensibilia sint objecta, talis est amor erga illa.*

Sup. sect. 1. c. 1. n. 1.

9. Hæc ergo infanda de Christo, divinisque personis, immo etiam de singulis attributis a summa contemplatione submotis, D. Cameracensis in Guyoniæ gratiam coloranda suscepit his propositionibus:

CAPUT II.

D. Cameracensis propositiones circa contemplationem.

Quadragesima-octava Propositio.

Max. des SS. art. 27. p. 186.

1. *Contemplatio pura & directa, negativa est, in eo quod voluntarie non se occupet ulla sensibili imagine, vel ulla idea distincta & nominabili, ut loquitur Dionysius: hoc est, nulla idea limitata, & particulari circa divinitatem.*

Qua-

Quadragesima-nona Propositio.

2. Pergit: *contemplatio supergreditur omne sensibile & distinctum: id est omne comprehensum, & limitatum, ut uni hæreat pure intellectuali, & abstractæ ideæ entis, quod est illimitatum, nec restrictum.* Has ergo propositiones D. Cameracensis cum illis Molinosi, Malavalli, & Guyoniæ componamus; geminæ apparebunt. Hoc enim *innominabile*, hoc *abstractum*, hoc *illimitatum*, nec *omnino restrictum*, quod D. Cameracensi unum est, *voluntarium* quidem, directæ & puræ contemplationis objectum, nihil est aliud quam illud universale, confusum, obscurum, quod nullam notionem, nullam cogitationem distinctam admittit: quo item uno secundum eosdem auctores pura contemplatio continetur: ergo ab illis auctoribus Cameracensis nihil differt. (p. 187.)

3. Neque obstat, quod illa contemplatio directa, & pura, negativa appelletur: addit enim auctor, eam haud minus esse *positivam, & realem*. (Ibid. pag. 187.)

4. Neque etiam obstat, quod hæc omnia, scilicet, attributa divina, divinæ personæ, ipsa Christi humanitas etiam distincte visa, in contemplationem admittantur. Remanet enim restrictio, ut admittantur quidem, sed non *voluntarie*, non sponte, non ultroneo actu: ergo per sese excluduntur; quod unum Quietismo sufficit. Unde sequitur (Ibid. pag. 187. 188.)

Quinquagesima Propositio.

5. *Etsi actus directe, & immediate tendentes ad Deum solum, ex parte objecti & in rigore philosophi-* (Ibid. 188. 189.)

co, sint perfectiores: sunt tamen æque perfecti, hoc est æque puri, æque meritorii ex parte principii, quando habent pro objectis, objecta quæ Deus offert, & quibus anima non se occupat nisi impressione gratiæ. En, ut attributa, ut personæ divinæ, ut ipsa Christi humanitas sint objecta æque perfecta, æque meritoria, debent a Deo *offerri*: non his per sese, non *voluntarie*, ut dictum est (prop. 48.) *nec nisi impressione gratiæ anima occupatur*; impressione autem gratiæ singularis. Communis enim gratia, etiam objecto illi abstracto, illimitato, innominabili æque est necessaria: objectum innominabile æque a Deo offertur: ergo hoc erit discrimen inter illud innominabile, & hæc distincte nota, nempe attributa, personas, humanitatem Christi; quod illud per sese voluntarie, ac spontaneo actu sit contemplationis objectum: hæc autem non per se, non *voluntarie*, sed si offerantur; idque impressione gratiæ singularis, nec ullo alio modo: quod est erroneum, & personis divinis, ipsique Chsisto contumeliosum.

Inst. sur les états d'or liv. 1. n. 15. 25. pag. 21 31. &c. Moyen court ch. 21 22. 24. pag. 90. &c. 101. 102. &c. 111. 112. &c. Moyen court ch. 24. p. 110. 111. Cant. pag. 207. 208. 209. Inst. sur les états d'or. liv. 1. n. 15. liv. 3. n. 9 p. 80. 87.

6. Huc accedit alibi fuse a nobis explicita, continui, confusi, & universalis actus ratio, auctore Falconio, Molinoso, ac Malavallo sequacibus; Guyonia denique pedissequa, per illum conversionis, & consensionis actum, qui semel active editus, continuus postea & irrevocabilis juxta atque irreiterabilis manet.

7. Hinc exulant explicitæ fidei actus, postulationes, gratiarum actiones: nec nisi impellente Deo per instinctum, & inspirationem, non communem illam, qua omnes justi pollent, sed singularem & extraordina-

dinariam profluunt: unde anima per se se his omnibus caret, nulloque conatu se ad hos actus provocat, neć suas exerit vires.

8. Aliud discrimen pariter quietisticum, & erroneum: quod illud abstractum, & innominabile anima contemplatrix sponte quærat, ipsa rei bonitate illecta: ad alia autem objecta, hoc est ad attributa particularia, sive absoluta, sive relativa, & ad ipsum Christum, nulla rei bonitas invitare possit: quod item est erroneum, divinisque attributis, ac personis, Christoque ipsi derogans.

CAPUT III.

Aliæ propositiones his connexæ, & consectaneæ.

1. Si anima contemplatrix divinis attributis divinisque personis, ipsoque adeo Christo non occupatur *voluntarie*, nec nisi id agente Deo per occultam, & singularem, atque extraordinariam impressionem, profecto consequens est, ut a vera, puraque contemplatione hæc omnia sæpe arceantur, ipsaque anima his destituta maneat. Jam ergo quærendum est, utrum hanc consequentiam auctor admittat. Admittit autem his verbis:

Quinquagesima-prima Propositio.

2. *Animæ contemplatrices duobus diversis temporibus privantur visu distincto, ac sensibili, ac reflexo Christi: sed numquam privantur in perpetuum ejus visu simplice ac distincte.*

Max. des SS. p. 194. 195.

Quin-

Quinquagesima-secunda Propositio.

Ibid.

3. Pergit: *in fervore nascente contemplationis, illud exercitium est imperfectissimum, nihilque repræsentat nisi confuso modo.*

Quinquagesima-tertia Propositio.

Ibid.

4. *Anima velut absorpta gustu sensibili ad recollectionem, nondum potest visis distinctis occupari; eam quippe debilem distraherent & rejicerent in ratiocinium meditationis, unde vix egressa est.*

Quinquagesima-quarta Propositio.

Ibid.

5. *Hæc impotentia videndi distincte Christum non est perfectio, sed e contra imperfectio hujus exercitii, quia tunc sensibilius est quam purius.*

Quinquagesima-quinta Propositio.

Ibid. pag. 195.

6. *Secundo, anima visum amittit Christi in ultimis probationibus, quia tunc Deus aufert ab anima possessionem, & cognitionem reflexam omnis boni inexistentis, ut eam ab omni proprio commodo purget.*

Quinquagesima-sexta Propositio.

p. 196.

7. *Extra hos status, anima excelsissima quamvis, in actu contemplationis potest occupari Christo præsente per fidem.*

Quinquagesima-septima Propositio.

8. *Et in intervallis, ubi pura contemplatio cessat, anima adhuc est occupata Christo:* per fidem præsente scilicet, ut supra (56. prop.)

9. Ex

9. Ex his tres errores exurgunt: 1. quod ab auctore quærantur status duo, quibus Christus fide præsens absit.

10. 2. Error: quod idem Christus inveniatur in contemplatione pura; sed ea conditione tantum, ut non *voluntarie*, ac per se, quemadmodum illa indistincta, *& innominabilis ratio* entis, sed tantum *offerente Deo*, nec nisi impressione *gratiæ singularis, & extraordinariæ*, ut est dictum supra (ad prop. 48. 49. 50.)

11. 3. Error: quod Christus (per se, *& voluntarie* quidem) ex dictis propositionibus, inveniatur in intervallis *ubi pura cessat contemplatio;* quasi indignus esset Christus qui in ipsa pura oratione fide præsens esset.

12. Hæc autem nemo mysticorum, nemo spiritualium, nemo theologorum dixit; nemo distinxit duos illos status a quibus Christum abesse oporteret: nemo aut probationum etiam extremarum, aut initiorum tempus fixit, aut figere potuit, nec nisi a Dei voluntate suspendit. Quare hæc omnia perperam, & temere, nec nisi in gratiam Guyoniæ, & Quietistarum inducta sunt.

13. Cetera in eam rem accurate tradit tractatus inscriptus *Mystici in tuto* 1. p. art. 3. toto, ubi de de Christi humanitate fundatissima veritas, Beatæ quoque Theresiæ, ac Joannis de cruce auctoritate, firmatur.

14. Quod auctor videtur prohibere tantum reflexos, & sensibiles actus circa Christum: de sensibilibus cum Molinoso facit in Bulla felicis memoriæ Inno- *Sup. cap. 1. n. 8.*

 cen-

centii XI. prop. 35. ut est supra dictum. Absonum quoque prohiberi de Christo reflexos actus, qui sunt per se optimi. Denique hic agitur de fide, quæ præsentem præstat Christum; fidem autem arceri a quovis christianæ vitæ statu, nihil est aliud quam arcere ipsum Christum, qui, teste Paulo, non nisi *per fidem in cordibus nostris habitat*. Quare ista omnia gratis, ac nullo Scripturarum testimonio, nullo auctore conficta, uni Guyoniæ utilia, procul eliminanda a christianorum mentibus, & auribus.

Eph. III. 17.

15. Hæc igitur a me alibi fusius explicata auctor variis in locis confutare nititur: sed procul abludit ab intento nostro, multisque paginis frustra in respondendo consumtis, objectiones nostras nequidem attigisse deprehenditur: neque ullo modo purgat illud *voluntarium*, ac per se rationi innominabili entis dumtaxat attributum; cum cetera *impressione singulari offerri* a Deo, non a nobis ultro eligi oporteat. Non etiam ulla ratione exponendum suscepit illud, *fide præsentem* esse, quod ipsi Christo denegat, uti prædictum est: unde errores ipsi imputatos stare, nec purgatos esse constat.

Præf. sect. v. n. 51. &c. p. lviii. & seq.
Avert. n. vi. pag. 10. 11.
Rép. à la décl. p. 74. &c. 84. &c.
Lett. 3. *à M. de Meaux*, p. 28. &c.

16. His addatur auctoris de actu universali

Quinquagesima-octava Propositio.

17. *Contemplatio consistit in actibus tam simplicibus, tam placidis, tam uniformibus, sive æquabilibus, tam nullo succussu, nullo conspicuo discrimine, ut nihil insigne habeant* (nihil observabile), *unde ab anima ab invicem discerni possint*. Rursus: *est contextus actuum fidei, & amoris tam simplicium, tam*

Max. des SS. p. 100.
p. 201. 202.

iam directorum, tam placidorum, tam uniformium; ut jam non nisi unum actum, aut potius nullum actum facere videantur. Postea: *hinc alii, ut s. Franciscus Assisinas, dixerunt, nullos a se actus fieri posse: alii, ut Gregorius Lopezius, toto vitæ decursu non nisi unum, & perpetuum actum fieri.* Alibi: *anima, non nisi unum motum sentit, eum scilicet qui ipsi impressus est:* denique; *tam placidi sunt; tam uniformes actus, ut distincti licet, unus idemque actus esse videantur.*

p. 211.

p. 257.

18. His verbis nihil agit auctor, quam ut Quietistarum continuitati, eidem æquipollentem uniformitatem substituat: eam scilicet quæ nullam actibus, nullam postulationibus, nullam gratiarum actioni, nullam explicitæ de divinis attributis particularibus, sive absolutis, sive relativis, aut de Christo, fidei rationem relinquat, qua discriminentur actus: eorumve distinctio, aut etiam qualiscumque interruptio perspecta esse possit. Nullus denique remanet conatus animi diversos actus, a Deo licet imperatos, exercentis: quæ quidem nihil aliud quam aliis verbis falsam quietem, continuitatemque referunt.

CAPUT IV.

Sextus error de directis, & reflexis actibus.

1. Actus reflexos Quietistis exosos esse, facile demonstravimus allatis locis: Molinosi quidem dicentis, relinquendos *omnes actus animi reflectentis: quippe qui verum lumen, & progressum animæ ad perfectionem probibeant:* itaque *ambulandum sine re-*

Inst. sur les états d'or. liv. 5. n. 2. 3. pag. 119. &c. Guide introd. sect. 1. liv. 1. ch. 2.

 fle-

n. 6. ch. 5. n. 35. ch. 11. n. 65. Moyen court §. 6. p. 27. 81. Cant. ch. 4. v. 1. p. 85. Ibid ch. 6. v. 10. pag. 159. Ibid. ch. 7. v. 7. p. 171.

flexione in seipsum, aut in divinas perfectiones: Guyoniæ vero sæpe admonentis agi oportere *sine reflexione: reflecti in creaturam, esse retroire: non esse animum in sese recurvandum: simplicitatem in eo esse, ut agamus directe sine reflexione:* ex reflexis actibus animam adduci ad summum periculum: *denique animam numquam in se recurvari:* quo nomine reflexi actus ubique intelliguntur.

2. Hæc quidem Quietistæ, D. autem Cameracensis rejicere non ausus universim reflectentes actus, eos ad inferiorem partem ablegat his verbis:

Quinquagesima nona Propositio.

Max. des SS. p. 91. Vid. sup. p. 112. n. 5. p. 118. — p. 122.

3. *Numquam amittit spem in superiori parte, hoc est in actibus directis & intimis.* Rursus: *actus directi & intimi, sine reflexione quæ imprimat sensibile vestigium, sunt ii quos s. Franciscus Salesius vocat apicem mentis.* Denique: *hæc partium animæ separatio fit per differentiam actuum realium, sed simplicium & directorum intellectus, & voluntatis, qui nullum relinquunt sensibile vestigium; & actuum flexorum, qui relinquentes sensibile vestigium se communicant immaginationi & sensibus, qui pars inferior appellantur, ad distinguendum eos actus ab operatione directa & intima intellectus, & voluntatis, quæ pars superior appellatur.* In has coincidit

Sexagesima Propositio.

p. 87. 90.

4. *Reflexa persuasio non est fundus intimus conscientiæ, eaque convictio, licet invincibilis, non est intima, sed apparens.*

5. Ex

5. Ex his geminus error: primus, quod actus reflexi non sint superioris partis, sed infimæ, adeoque non sint liberi, nec vera peccata; quo turpissimi quique ac flagitiosissimi actus excusantur: alter, quod actus reflexi non sint intimi, sed tantum apparentes: contra quod constat actus reflexos, quo magis ex vera, deliberatissima, atque oculatissima cognitione prodeunt, eo esse interiores, ac, si mali sint, pejores: dicente Apostolo: *voluntarie peccantibus nobis jam non relinquitur pro peccatis hostia*: & ipso Domino: *nunc vero dicitis, quia videmus: peccatum vestrum manet*: & alibi: *scienti igitur... & non facienti, peccatum est illi*.

Heb. X. 26. Joan. IX. 41. Jac. IV. 17.

6. Hæc autem adeo sunt perspicua, ut auctor in Inst. past. hunc errorem rejecerit, clarisque verbis negaverit, *partem inferiorem capacem esse reflexionis*: ubi gravissime dolendum est, quod pessimum, crassissimum, exitiosissimum errorem, a se licet agnitum clarissimis verbis, aperte ejurare refugiat.

Inst. past. p. 28.

CAPUT V.

Septimus error de fanatismo & impulsibus extraordinariis.

1. Sunt qui prophetico spiritu vere acti a Deo, singularis impulsus extraordinariam gratiam veris produnt operibus, rerumque eventibus; sunt horum æmulatores qui se impetu divino, eoque continuo agi putant, eo quod ad quemdam perfectionis statum pervenisse se simulent nullo tantæ rei indicio: quos fanaticos dicimus.

2. Is autem fanatismus in Molinoso & Guyonia sæpe se prodit: cui quidem quam faveat Cameracensis, docent hæ jam ex *Mystici in tuto* rejiciendæ propositiones.

Sexagesima prima Propositio.

Max. p. 117. Myst. in tut. n. 141. 142. 143.

3. *Animæ* (perfectæ) *sunt per se indifferentes ad actus directos, & reflexos: edunt autem actus reflexos, quoties aut præceptum postulat, aut gratiæ attractus impellit.*

4. Agitur de obligatione eorum præceptorum, quæ ad certa momenta rediguntur: sunt autem illa positiva, cum negativa semper obligent. Casus ergo quo animæ ad actus reflexos teneantur, sunt valde infrequentes, ac vix ullus ejusmodi casus commemorari potest. Cum ergo parcissime eveniant casus illi, quibus valeat præceptum ad reflexos actus; profecto erunt frequentissimi actus illi, ad quos eædem animæ non nisi attractu gratiæ impellantur. Non autem agitur de gratia communi omnibus justis; cum ea gratia ad directos æque ac reflexos actus sit necessaria: ergo de gratia extraordinaria, de extraordinariis attractibus agitur, manetque manifestum in longe plurimis, & numerosissimis vitæ humanæ actibus, qui iidem sunt reflexi, locum habere, immo requiri impulsus sive attractus extraordinarios.

Sexagesima secunda Propositio.

Max. des SS. p. 186. 187. 189. Sup. Prop. 48. 49. 50.

5. *Pura, & directa contemplatio non occupatur sponte aut voluntarie, nisi ente innominabili: aliis vero objectis, non nisi offerente Deo, & ex impres-*

sio-

sione gratiæ, singularis scilicet, & extraordinariæ; alioqui nihil dicit, cum gratia communis æque ad alios actus requiratur. Ergo anima perfecta, attributa particularia, personasque divinas, atque adeo Christum ipsum cogitans, non id facit nisi ex impulsu extraordinario. Hæc de actibus indirectæ contemplationis, & impulsu extraordinario ad eos necessario.

Myst. in tut. n. 151. 154. 155. 156. 157.

6. Jam, ne ad actum directæ contemplationis sit anima per se liberior, adducatur

Sexagesima tertia Propositio.

7. *Inutile, & indiscretum est, his animabus proponere amorem excellentiorem, ad quem quippe non habent aut lumen interius, aut attractum gratiæ.* Non carent autem attractu communi, & ordinario ad amandum pure Deum: ergo hic igitur de extraordinario. Unde, ut ad amorem illum animæ eleventur, impulsu extraordinario opus est. Huic congruit

Max. p. 34. 35.

Sexagesima-quarta Propositio.

8. *Deo permittenda res est, nec de puro amore loquendum, nisi cum Deus per interiorem unctionem incipit aperire cor illi verbo tam duro &c.* Unctio autem communis cuivis amori est necessaria: ergo hic non communis, sed extraordinaria requiritur, ad rem quippe extraordinariam, & inaccessam etiam sanctis.

Ibid. 35. Myst. in tut. n. 144.

9. Neque ibi sistit auctor, sed ad omnes actus extendit instinctum, sive impulsum extraordinarium his verbis:

Sexagesima quinta Propositio.

Max. pag. 65. 10. *Hæ animæ non aliam habent regulam nisi præcepta, & consilia legis scriptæ, & gratiam actualem quæ semper legi est conformis.* Rursus p. 150. *datur voluntas Dei, quæ se ostendit omnibus per inspirationem, sive attractum gratiæ, quæ est in omnibus justis.* In Instructione pastorali: Inst. past. p. 7. 8. *Voluntas beneplaciti semper legi conformis, seipsam ostendit per gratiam actualem.* Denique: Max. pag. 217. *hæ animæ se sinunt possideri, instrui, & moveri in omni occasione per gratiam actualem, quæ ipsis communicat spiritum Dei.*

11. Sane auctor hæc excusare nititur, dum gratiam illam actualem contendit esse ordinariam. Sed incongrue & falso. Gratia enim actualis ostendens voluntatem Dei, eam quoque, quæ beneplaciti dicitur, non est ordinaria: alioquin omnibus per eam innotesceret voluntas beneplaciti; quod non fit. Restat ergo, ut vere extraordinaria sit, ac perfectorum statui propria, licet communis, & ordinaria ab auctore vocetur. Extenditur autem, eodem auctore teste, *ad omnem occasionem*: ergo *in omni occasione* instinctus ordinarius dictus, revera extraordinarius reperitur. Sic auctor lectorem ludit, neque quidquam pensi habet impulsus admittere extraordinarios, dummodo immutatis tantum vocibus communes appellet, & ordinarios.

Myst. in tuto, *num.* 127. 128. 129. *usq. ad* 136. Sum. doct. *n.* 5. *Préf. sur l' Inst.* 12. Neque hic quidquam addimus; sed lectorem remittimus ad alios tractatus nostros, ac præsertim ad illum de *Mysticis in tuto*, ubi hæc fuse exposita sunt. Huc etiam pertinet

Se-

pass. n. 58. &c. 61. &c. 184. &c. p. lxvi. ccxxix. &c. Max. pag. 97. Myst. in tuto, p. 1. art. 2. c. 1. n. 116. &c. p. 57. usq. ad finem articuli.

Sexagesima-sexta Propositio.

13. *Velle prævenire gratiam, est velle sibi ipsi dare id quod nondum illa præstat: est aliquid exspectare a se, a propria industria, a proprio conatu, quibus verbis Semipelagianismus inducitur.* Sin autem perfecti nihil proprio conatu atque industria faciunt, restat ut ad omnes actus instinctu, & impulsu extraordinario agantur, ut est a nobis alibi demonstratum.

14. His patet ab auctore induci fanaticos instinctus ad seligenda contemplationis objecta, ad actus reflexos, ad ipsam deligendam directam contemplationem, ad quosvis denique actus saltem extra præcepti affirmativi casum: quibus actibus tota fere humana vita continetur, ut locis allegatis dictum est.

Préf. sur l'Inst. past. nu. 58. 61. 184. &c. Myst in tuto, ibid.

CAPUT VI.

Quatuor alii errores Molinosismo additi.

1. Præter hos errores ad Quietismum pertinentes, hos etiam commemoramus ab auctore additos.

Sexagesima-septima Propositio.

2. *Quidquid non provenit ex principio caritatis, ut s. Augustinus docet, ex cupiditate provenit;* postea, *cupiditas illa est amor, qui est omnium vitiorum radix:* quæ duo ad amorem spei applicantur, ipsaque spes ad cupiditatem refertur, ut est in Declaratione positum.

Max. p. 7. 8.

Postr. edis. pag. 258 Inst. Past. p. 14. 10.

3. Nec aliter respondet auctor, quam ut admittat

amo-

amorem caritatis, qui sit naturalis, nec virtus theologica; & cupiditatem innoxiam, nec malam, quæ sit vitiorum radix; qua in re duo peccat, & quod admittat hos errores, & quod eos s. Augustino tribuat, qui ab illis maxime abhorret.

Sexagesima-octava Propositio.

Ibid. p. 17. Ibid. & p. 21.

4. *Amor Dei ex pura concupiscentia est sacrilegus & impius:* ac paulo post: *præparat ad justitiam, & conversionem cordis:* quod aperte repugnat concilio Tridentino definienti, id quod præparat, ac disponit ad gratiam a Spiritu sancto proficisci.

Sess. VI. c. 6. Sess. XIV. c. 4.

Sexagesima-octava Propositio.

Max. pag. 34.

5. *Inutile est, & indiscretum, inducere animas ad amorem excelsiorem* (sive purum) *quo attingere non possunt, interiore quippe lumine, & gratiæ attractu destitutæ.* Rursus: *permittenda res Deo est, neque umquam de amore puro loquendum, nisi cum Deus per unctionem suam aperuit cor ad durum illud verbum, quo animæ illæ scandalizantur, ac perturbantur.* Alibi denique: *pastores & sancti omnium ætatum quodam arcani genere cavebant, ne de puri amoris sublimi exercitio aliis loquerentur, quam animabus, quibus Deus largiretur attractum, & lumen* &c.

p. 35.

Max. pag. 301.

6. His duo errores gravissimi continentur. Primus, quod plerique sancti, & justi non vocentur ad amorem purum, quippe qui ad eum assequendum gratia, & lumine destituti sint: immo vero eo collaudato scandalizentur, & perturbentur: alter, quod illius

illius amoris veritas, licet evangelica, non tamen pertineat ad prædicationem evangelii, ut in Declaratione est positum.

Ibid. Declar. p. 108. 109.

7. De arcano illo male ex patribus asserto ab auctore, diximus in eo tractatu qui inscribitur, *Mystici in tuto*, part. 1. art. 3. n. 144. &c. cap. 1. & 2. p. 75. 76.

Septuagesima Propositio.

8. *In Christo pars inferior non communicabat superiori parti involuntarias perturbationes suas:* quod ab ipso auctore sæpe rejectum, translatumque a se ad alium, ad extremum aperte propugnatum est, ut alibi diximus.

p. 112. Lett 4. à M. de Meaux, pag. 22. 23. 24. 25. 26. Rép. à 4. Lett. n. 20. p. 74. 75.

9. Sic Molinosi errores D. Cameracensis non modo tuetur, & pingit; verum etiam auget, atque exaggerat.

COROLLARIUM,

Sive recapitulatio & collectio errorum D. Cameracensis ex 34. articulis Issiacensibus demonstrata.

SECTIO VII. ET ULTIMA.

CAPUT PRIMUM.

Triginta-quatuor articulis recensentur.

Ut aperte demonstretur, D. Cameracensem jam a se damnatum ad errores improbatos ultro esse revolutum, hos quatuor & triginta articulos, 10. Martii 1695. ab ipso subscriptos, ordine recensemus.

Ex Inst sur Stat. orat. lib. x. n. 5. p. 387. & ex Cens. nost. ibid. p. lxxiii.

I. Qui-

I.

Quivis Christianus quovis in statu tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad earum actus producendos, sive eliciendos ut virtutum distinctarum actus.

II.

Quivis Christianus tenetur ad habendam fidem explicitam in Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, qui *inquirentibus se remunerator sit*, & in ejus alia attributa æque revelata: & ad ejus fidei actus producendos quovis statu, etsi non quovis momento.

Heb. XI. 6.

III.

Quivis Christianus pari jure obligatur ad fidem explicitam in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & ad hujus fidei producendos actus quovis statu, licet non momento quovis.

IV.

Quivis Christianus pariter obligatur ad fidem explicitam in Christum Deum, & Hominem, tamquam in mediatorem, sine quo nemo potest appropinquare Deo, & ad hujus fidei eliciendos actus quovis statu, licet non quovis momento.

V.

Quivis Christianus quovis in statu, licet non momento quovis, tenetur velle, desiderare, & postulare explicite salutem æternam, ut rem quam Deus ipse vult, & vult etiam velle nos propter suam gloriam.

VI.

Vult Deus, ut quivis Christianus quovis statu, licet non quovis momento, ab ipso expresse postulet re-

remissionem peccatorum, gratiam non peccandi, virtutum augmentum, & alia quævis ad æternam salutem requisita.

VII.

Quovis statu Christianus concupiscentiam habet oppugnandam, quamquam non semper æqualiter: quo jure obligatur quovis in statu, licet non quovis momento, ad postulandas vires adversus tentationes.

VIII.

Hæ propositiones omnes sunt de fide catholica, expresse contentæ in symbolo apostolorum, & in oratione dominica, quæ communis, & quotidiana est oratio omnium filiorum Dei: aut etiam in conciliis Carthaginensi, Arausicensi & Tridentino expresse definitæ ab ecclesia, ut illæ de postulanda remissione peccatorum, & dono perseverantiæ, deque pugna adversus concupiscentiam: quare contrariæ propositiones sunt formaliter hæreticæ.

IX.

Non licet Christiano indifferentem esse ad salutem, & ad res quæ in eam referuntur: sancta indifferentia christiana eventus hujus vitæ (excepto peccato) solatiorumque, atque ariditatum spiritualium dispensationem spectat.

X.

Actus supra memorati majoris perfectionis christianæ rationi non derogant, nec desinunt esse perfecti, perspecti quamvis sint, dummodo de iis gratiæ habeantur Deo, & in ejus gloriam referantur.

XI.

Non licet Christiano expectare, ut Deus hos actus in-

inspiret via & inspiratione singulari: immo vero ut ad eos sese excitet, nulla alia re indiget quam fide ea, qua voluntas signi, sive significata, ac declarata præceptis innotescit; & sanctorum exemplis: supposito semper auxilio gratiæ excitantis, & prævenientis. Postremæ propositiones tres ex ante memoratis propositionibus clare consequuntur: quibus contrariæ temerariæ sunt & erroneæ.

XII.

Actibus obligatoriis supra memoratis non veniunt intelligendi actus methodici, sive certis formulis ordinati; aut in eas redacti, & certis vocibus alligati: aut actus inquieti, nimisque solliciti (*empressez*); sed actus sincere in corde formati cum omni suavitate, & tranquillitate a Dei Spiritu immissa, & inspirata.

XIII.

In vita, & oratione perfectissima hi actus uniuntur in sola caritate, quatenus omnes virtutes animat, & earum exercitium imperat, juxta quod Paulus dicit: *caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Idem dici potest de quibusvis aliis actibus christianis, quorum exercitia distincta dirigit, sive regulat, ac præscribit caritas, quamquàm illi actus non sunt semper sensibili ac distincta ratione perspecti.

I. Cor. XIII. 7.

XIV.

Desiderium salutis æternæ, ac perfectæ redemtionis quod notatur in sanctis, ut in Paulo, & in ceteris, non est desiderium, aut appetitus indeliberatus tantum; sed, ut ait Paulus, est *bona voluntas* quam libe-

libere formare, & operari debemus in nobis cum auxilio gratiæ, ut eam voluntatem, quæ sit maxime conformis divinæ voluntati. Hæc propositio clare est a Deo revelata; & contraria est hæretica.

XV.

Velle non peccare, est etiam quædam voluntas divinæ voluntati conformis, & absolute necessaria in quovis statu, etsi non quovis momento: neque tantum tenemur ad condemnandum peccatum; verum etiam ad dolendum de peccato, & ad illud delendum impetrata venia.

XVI.

Actus reflexi in nosmetipsos, in nostros actus, & in accepta dona, qui ubique leguntur a Prophetis, & Apostolis exerciti, ut Deo de beneficiis agamus gratias, aut ad alios æque pios fines, Christianis omnibus etiam perfectissimis propositi sunt in exemplum: eaque doctrina quæ ab ejusmodi actibus avertit Christianos, erronea est, & hæresi proxima.

XVII.

Reflectentis animi actus mali, & periculosi nulli sunt, præter eos quibus anima reflectitur in actiones suas, & ad percepta dona, ut pascatur amor proprius, aut ut in illis humana fulcimenta quærantur, aut quibus anima seipsa occupetur plusquam oporteat.

XVIII.

Mortificationes cuivis statui christiano competunt, eique sæpe sunt necessariæ: a quibus proinde perfectionis obtentu avertere fideles est condemnare Paulum, erroneamque & hæreticam doctrinam supponere.

XIX.

XIX.

Perpetua oratio non consistit in actu perpetuo, & unico, qui perennis, nec interruptus supponatur, quique ideo iterari non debeat; sed in habituali quadam, atque perpetua dispositione, ac præparatione animi, ut nihil faciamus nisi ad placendum Deo. Propositio contraria, quæ in quovis statu etiam perfecto excluderet omnem pluralitatem, & successionem actuum, esset erronea, & omnium sanctorum traditioni repugnans.

XX.

Traditiones apostolicæ nullæ sunt præter eas quas tota agnoscit ecclesia; quarum scilicet auctoritas a concilio Tridentino definita est. Propositio contraria est erronea, & prætensæ apostolicæ traditiones occultæ fidelibus essent laquei, & viæ introducendi pravas omnes doctrinas.

XXI.

Oratio simplicis præsentiæ Dei, sive quietis, aliæque extraordinariæ, etiam passivæ, a sancto Francisco Salesio, aliisque spiritualibus in ecclesia receptis approbatæ, sine gravi temeritate abjici, ac pro suspectis haberi non possunt, neque omnino prohibent quominus anima semper præparata maneat ad producendos opportuno tempore memoratos actus: quos quidem redigere ad actus implicitos, sive eminentes in gratiam perfectarum animarum eo obtentu, quod eas amor Dei certo quodam modo contineat; nihil aliud est quam eorumdem actuum eliciendorum obligationem eludere, eorumque distinctionem a Deo revelatam tollere.

XXII.

XXII.

Absque his extraordinariis orationibus, animæ christianæ ad summam sanctitatem efferri, atque apicem christianæ perfectionis adipisci possunt.

XXIII.

Redigere statum interiorem, ac purificationem animarum ad has orationes extraordinarias, error est manifestus.

XXIV.

Æque periculosus error est, excludere a contemplationis statu divina attributa, tres personas divinas, ac verbi incarnati mysteria, præsertim crucis Christi, ejusque resurrectionis: omnesque omnino res, quæ sola fide apprehendi possunt, contemplatricis animæ objecta sunt.

XXV.

Non licet Christiano, passivæ aut cujusvis extraordinariæ orationis obtentu, in agendis rebus tam spiritualibus, quam temporalibus, exspectare impulsum ad quemvis actum determinantis Dei per viam & inspirationem singularem: contraria vero sententia ad tentandum Deum inducit, atque illusioni, & indiligentiæ viam aperit.

XXVI.

Extra casus & momenta inspirationis propheticæ, sive extraordinariæ, vera animi demissio ab omni anima christiana etiam perfecta Deo debita in eo stat, ut omni lumine, sive naturali, sive supernaturali divinitus accepto, christianæque prudentiæ regulis utatur. Sic tamen ut supponatur semper a Deo omnia regi per providentiam, eumque optimi cujusque consilii esse auctorem.

XXVII.

Non oportet alligare prophetiæ donum, statusque apostolici dignitatem certo statui perfectionis & orationis: alioquin anima ad illusionem, temeritatem, atque errorem inducitur.

XXVIII.

Viæ extraordinariæ cum notis iis quas spirituales approbati tradidere, rarissimæ sunt, subjiciunturque examini episcoporum, atque aliorum superiorum ecclesiasticorum & doctorum: qui quidem de iis judicare debent, non tam experimentis, quam immutabilibus scripturarum, traditionisque regulis: qui autem ab ea mente, & praxi discedunt, debitæ obedientiæ salutare jugum excutiunt.

XXIX.

An sit vel fuerit ubicumque terrarum exiguus saltem numerus electarum animarum, quas Deus extraordinarie præventas singularibus inspirationibus sibi notis quocumque instanti ad omnes christianæ pietati essentiales actus, & ad omnia bona opera ita moveat, ut nihil eis præscribendum sit, quo ad ea opera, aut exercitia seipsas cohortentur, divino judicio relinquimus: nec agnitis, aut confessis talibus statibus, id unum in praxi statuimus, nihil esse periculosius, aut illusioni propius, quam regere animas tamquam in eum statum pervenerint: denique & id statuimus, quidquid sit de illorum statuum veritate, non in ejusmodi prævenientibus inspirationibus collocari perfectionem christianam.

XXX.

In prædictis articulis, quod attinet ad concupiscen-

scentiam, imperfectiones, ac præcipue peccata, propter honorem Domini; nullam Deiparæ Virginis volumus haberi mentionem.

XXXI.

Quod attinet ad animas in probationibus a Deo constitutas; sanctus Job, qui earum exemplar est, eas docet, ut utantur radiis per intervalla intermicantibus ad producendos actus præstantissimos fidei, spei, & caritatis. Monent quoque spirituales viri, ut eosdem actus reperiant in apice mentis, ac suprema animi parte. Quare nec permittendum illis animabus, ut suæ desperationi, ac damnationi apparenti acquiescant: sed e contra asserendum, non futurum ut a Deo deserantur.

XXXII.

Sane in quovis, ac præsertim in probationum statu adorari oportet Dei ultricem justitiam: non tamen optandum, ut suum in nos totum rigorem exerceat; cum amoris privatio sit in nobis quidam hujus rigoris effectus. Sui derelictio (*l'abandon*) Christiano nihil est aliud, quam *omnem suam sollicitudinem projicere in Deum*, & spem omnem salutis in eo ita reponere, *ut totum detur Deo*, quemadmodum post sanctum Cyprianum sanctus Augustinus docet.

I. Pet. V. 7.

XXXIII.

Potest etiam inspirari animabus, quæ laborent in ejusmodi probationibus, si vere humiles sint, ut sese submittant, & consentiant voluntati Dei, etiam si per falsissimam præsuppositionem, pro sempiternis bonis, quæ justis promisit animabus, eas, pro suo beneplacito, in sempiternis suppliciis detineret,

nullo tamen gratiæ, amorisque dispendio: qui sane quidam actus est perfectæ derelictionis sui (*abandon*) ac puri amoris a quibusdam sanctorum exercitus: isque utiliter exerceri potest a perfectis animabus cum gratia Dei maxime singulari: absque eo quod unquam derogetur actibus supra memoratis, ad christianæ perfectionis rationem essentialibus.

XXXIV.

De cetero, certum est incipientes, & perfectos pro sua quemque via per diversas regulas regi oportere, atque a perfectis excelsiore, ac profundiore modo intelligi christianas veritates.

CAPUT II.

Iidem articuli elusi.

1. Subtilissima quamvis, & labilis Quietistarum gens, quatuor & triginta articulis Issiacensibus ita comprehensa, & constricta videbatur, ut effugere non posset; sed cautionem nostram prope jam Domini Cameracensis ac defensorum ejus vicit ingenium.

Art. 1. 13. 2. Et quidem per articulos perfecti quoque adigebantur ad actus explicitos, ac speciale exercitium fidei, spei, & caritatis, ut virtutum distinctarum; neque ipse Cameracensis id aperte inficiari est ausus, adeo verba articulorum urgebant: at quod palam non potuit, arte aggressus est.

3. Sane fidem explicitam in Deum ut omnipotentem, ejusque attributa æque nota: item in divinas personas, Christumque ut hominem & Deum, articuli postulabant: eadem objecta specialia in contem-

Art. 2. 3. 4.
Art. 24.

pla-

plationem admittebant: Quietistas confusæ cujusdam contemplationis obtentu, aliud quidvis molientes facile elidebant. At novus Quietistarum propugnator, haud veritus ad rationem entis abstractissimam, & innominabilem contemplatrices animas per sese redigere, elabi posse se credidit, si pura contemplatio alia objecta reciperet, ea conditione tantum, si Deus ad illa instinctu singulari & extraordinario impelleret; non alio modo: quasi illa objecta per se non allicerent animas perfectas sibi visas.

Vid. sup. Prop. 51 ad 58. sect. 6. cap. 3. n. 71 & seq. pag. 405. &c.

4. Spei exercitium speciale, & explicitum, eique conjunctum salutis desiderium articuli exigunt: at novus Quietista, in speciem, & verbo tenus, retenta spe, vim ejus excludit, ac movendi virtutem, & motivi præcisi rationem ab æterna salute separavit, caritatemque a spe prorsus independentem statuens, spei utilitatem, necessitatemque sustulit.

Art. 1. 5.
Vid. sect. 4. & 5.

5. Et articuli quidem jubebant, salutem velle nos, *ut rem quam Deus vellet; ac nos velle vellet ad gloriam suam*; at novus auctor bonis articulis malam exclusivam apposuit: nec permisit nos salutem velle, nisi unice quatenus eam Deus vellet, quasi salus ipsa per sese non moveret, non tangeret mentem. Sic alienum sensum impegit articulis: fecitque ambiguum, ac sexcentis tergiversationibus obnoxium, id quod per se erat planum, & innoxium.

Art. 5. 14.
Max. p. 25. 26. 27. Vid. sup. Prop. 45. sect. 5. c. 8. n. 1. & 6.

6. Articuli ergo planis, ac simplicibus usi vocibus ambiguitatem omnem tollere conabantur; quos auctor a se eludi posse crediderit, si novas, & ambiguas, alienasque voces hac & illac spargeret.

7. Sanctam indifferentiam a sancto Salesio potissimum

Art. 8.

mum ductam articuli ita definiverant; ut ad eventus hujus vitæ, solatiaque spiritualia pertineret tantum; ad salutem nullatenus: qua definitione licet a se subscripta, ut ea quæ ad finem catholicam pertineret, tamen insuper habita, novus auctor eam admisit indifferentiam, quæ salutis desideria comprehenderet, eaque etiam divinæ gloriæ submissa, subordinataque tolleret, resignationem æque ac indifferentiam ad salutem ejusque studium usque protenderet.

Art. 8 9. Vid. Prop 37 & seq. sect. 5. cap. 5. n. 2. &c. Vid. & Myst. in tuto, n. 218. & seq.

8. Nec valet auctoris interpretatio, dum salutis desiderium, naturale tantum, exclusum esse voluit: cum neque nos, neque is quem explicabamus Franciscus Salesius, salutis desiderium naturale illud umquam in animo habuerimus, nec desiderium aliud intellexerimus, quam illud quod frequentatur communibus sanctorum, & universæ ecclesiæ votis; nec ferimus auctorem nobis imputantem ea quæ nusquam cogitavimus.

9. Huc accedit, quod auctor ipse dum naturale præcidit desiderium, nulla umquam regula a supernaturali secernendum, hoc quoque in tantum discrimen adducit, ut fideles nescientes quodnam sit naturale, quodque supernaturale salutis desiderium, utrumque simul exscindant, nec de salute cogitent.

Vid. Myst. in tuto, n. 39. 140.

10. Nec auctorem adjuvant novi defensores, qui spem in caritate eminenter, ac virtute contentam per eamdem caritatem exerceri volunt: cum ipse auctor nobiscum spem ipsam in se ipsa, ut est specialis & distincta virtus, exercendam esse, ut rem catholica fide definitam agnoverit: cui nunc aliena obtrudere, ipsumque ipso quoque studiosius velle defendere, ratio, ac veritas non sinunt.

Art. 1. & 3.

11. Nec

11. Nec favent novæ in auctoris gratiam confictæ voces: ut nempe dicatur, spem quidem non inveniri *in opere operantis*, sed inveniri tamen in ipso *opere operato:* hoc est in ipso opere caritatis, spem in se eminenter ac virtute complexæ. Non enim aut nos, aut auctor nostros articulos sequi se professus, aliud umquam cogitavimus: quam illud cum Paulo, spem esse exercendam, ut est specialis, & a caritate distincta virtus. *Nunc enim manent tria hæc, fides, spes, caritas:* quin etiam in articulis nostris communi studio omnes, hoc est nos, & ipse subscribens, actus *illos implicitos, & eminentes*, qui ceteros ita includant, ut ab eodem singulari exercitio liberent, & animo prævidimus, & expressissimis verbis improbandos duximus.

I. Cor. XIII. 13.

Art. 21.

12. Nec si quis commentus est ad excusandos auctores portenta verborum; aut voces destinatas ad explicandam sacramentorum efficaciam, ad virtutum excellentiam, aliudve quidvis, transferendas putaverit, ideo nos a legittima reprehensione discedere oporteat: cum ipsum auctorem, subscriptis articulis in veros, expressosque, ac distinctos actus consentientem habeamus: nec dum enim noverat vocum novitates, quibus Quietistæ, & ipse Molinosus in lucem integer redeat.

13. Retuderamus Quietistas pessimo, & ad hæresim prono consilio reflexis actibus obstrepentes: quo fructu? si Dominum Cameracensem ferre cogimur abigentem reflexos actus ad inferiorem animæ partem: nec eos admittentem nisi expresse justos, quod numquam fere evenit, aut impulsu singulari excitatos;

Art. 16. 17. Vid. sect. 6. c. 4. Prop. 59. & 60. n. 2. 3. 4. 5. & cap. 5. Prop. 61.

quasi imperfectum esset, in se ipsum, ac in peccata sua, vel in dona divina reflectere.

Myst. in toto, n. 141. 142. 141.

14. Quo errore etiam gratiarum actiones, immo & postulationes ex peccatorum, & cujusvis indigentiæ consideratione ortæ procul a vita perfecta exulant: repugnantibus licet articulis ab auctore subscriptis.

Art. 6. 7. 16. 17.

Art. 11. 25. 26.

15. Vetant articuli, ne christianus quivis ad actus speciales fidei, spei, aliarumque virtutum exercendos, divinam inspirationem expectet; cum ultro excitare se debeat, & ad id sufficiant præcepta divina, exempla sanctorum, ipsa fides, ipsa prudentia: at auctor hæc evertit exclusis actibus conatus proprii, & inducta gratia actuali, communi quidem dicta, revera autem extraordinaria: quippe quæ *in omni occasione* unicuique perfectorum voluntatem beneplaciti, & id omne quod fieri quovis casu oportet, exhibeat.

Vid. sect. 6. cap. 5. Prop. 65. & 66. n. 9. & seq.

Art. 13.

16. Articulis erat declaratum, virtutum actus per sese, ac propria bonitate esse bonos, atque ideo specialiter exercendos etiam in perfectissima oratione & vita; etiam cum imperante caritate prodeunt: quod auctor infirmat, negando virtutem diligi ut virtutem: aut virtutis, ut est virtus, studiosum esse oportere: aut in perfectam vitam admittendas virtutum praxes.

Vid. sect. 1. c. 1. & 2.

Art. 18. Sup. sect. 2. cap. 2. n. 1. & 2.

17. Quietistæ mortificationibus parum faventes articulis repressi fuerant: frustra: cum auctor eas tentationes admittat, in quibus mortificatio interior & exterior sit penitus inutilis, Christo licet dicente de gravissimis tentationibus: *hoc genus* (demonii) *in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.*

Marc. IX. 28.

Art. 19.

18. Articulis proscriptus fuerat actus perpetuus, pe-

perennis, & unicus, ac sine interruptione & successione continuus, nec reiterabilis: cujus loco substituit auctor actus adeo uniformes, & æquabiles, ut toto vitæ decursu non nisi unicus actus exerceri videatur: quod Quietistarum continuitati sive perennitati æquipollet.

Sup. sect. 6. cap. 3. Prop. 58. nu. 10. 17.

19. Quidam Quietistæ Domino Cameracensi haud ignoti, cum suam doctrinam ut sanctis patribus incognitam argui viderent, de spirituali vita quasdam traditiones occultas prætexebant: quos nunc, spretis, aut detortis articulis, idem Cameracensis excusat; inducto antiquorum arcano quodam etiam sanctis inaccesso, ac perturbaturo eos si palam proderetur.

Art. 20. Vid. sect. 6. cap. 6. n. 5. 6. 7.

20. Orationem quietis sive simplicis præsentiæ sive passivam articuli induxerant eam, quam s. Franciscus Salesius, aliique spirituales s. Theresia, Beatus Joannes à Cruce, ceterique probavissent: eam scilicet qua suspendi, ligarique animæ facultates, & ad veram impotentiam redigi fatebatur: quod nunc auctor non modo improbat, sed etiam ad fanatismum revocat, sanctosque facit fanaticos.

Art. 21. 28. Vid. Myst. in tuto, part. 1 tota, & ejus app.

21. Tales dixeramus orationes omnes extraordinarias, ut ne quidem perfectioni essent necessariæ; quas cum auctor ad unum purum amorem revocat, aut esse necessarias agnoscit, aut negat purum amorem ad perfectionem esse necessarium, pari utrimque errore & incommodo.

Art. 22. 23. 29.

22. De probationibus, ac de salute devovenda, sive immolanda, articuli eam immolationem non nisi ex falso & impossibili admittendam, aut etiam data occasione inspirandam statuebant: absolutum sacrificium ab auctore inductum penitus ignorabant.

Art. 31. Sup. sect. 1. cap. 1. & seq.

23. Tan-

Ibid. 23. Tantum autem abfuit auctor, ut sacrificium illud devovendæ salutis non nisi ad impossibilem conditionem redigeret, ut e contra casum impossibilem jam realem, & actualem visum adstruxerit; eoque fundaverit absolutum illud antea inauditum sacrificium.

Ead. art. 33. 24. Iidem articuli negabant, in extremis licet probationibus, derogari debere, aut posse actibus ante memoratis, qualis est explicita in Christum fides, ac spes: at auctor ab iisdem probationibus abesse Christum fide præsentem, abesse spem christianam, aut eam cum desperatione conjunctam, asserit.

Sup. sect. 6. cap. 3. n. 6. 7. Prop. 55. 56 & sect. 1. cap. 2. & seq.

Art. 31. 25. Et articuli quidem vetabant, ne directores sinerent, ut animæ in suam damnationem, aut desperationem umquam acquiescerent, neve optarent ideo ut divina justitia suum adversus eos rigorem exereret; quod excusavit auctor, adducto universali decreto, ut animæ perfectæ ederent generalia desideria omnium Dei voluntatum: additis etiam latentibus; quibus vel maxime occulta de prædestinatione, & reprobatione decreta continentur.

Sup. sect. 5. cap. 2. Prop. 46. n. 1. 2. & seq.

Ent. 5. p. 221. edit. de Toul. 1617. Tre sillécrit. n. 14. pag. 203. Art. 33. 26. Et quidem auctor deterret directores a prædicanda inter probationes extremas perfectis animabus divina bonitate, & cura de illarum salute singulari: contra quod, auctore Francisco Salesio, in iisdem docetur articulis.

Art. 32. 27. Adducitur etiam in iisdem articulis ea sui derelictio (*abandon*) quæ nitatur Petri dicto: *omnem sollecitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*; unde actus animæ se projicientis in Deum, non indifferentia, sed ipsa spe divinæ bonitatis nobis consulentis, omnino stabilitur.

1. Pet. V. 7.

28. Ad

28. Ad id etiam valet locus Pauli, non solum de generali divina bonitate confidentis, sed illam etiam sibi applicantis, his verbis: *in fide vivò filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* a qua spe discedere quasvis animas idem Paulus vetat. Gal. II. 20.

29. Sic per articulos triginta quatuor, adversus subdolam, & lubricam Quietistarum factionem, abunde veritati consultum esse videbatur. At in iis quoque articulis D. Cameracensis occultas effugiendi vias, vel ab initio rimabatur, vel postea commentus est: nihilque est, quod non vel recta subverterit, vel oblique eluserit.

30. Nec facile dixerim, an in apertis erroribus, magisquam in ambiguis vocibus reprehendi debeat. Ecce enim harum ope, quidquid voluerit, tuebitur; si Quietistas præmere velis, illis opitulabitur: sin ipsum redarguendum aggrederis, his se involvit dictis, quibus a Quietistis abhorrere videatur, ac mutato colore adversariis variabilem, & ad omne dogma flexibilem ostendet faciem: quæ si præsidio sunt (absit verbo injuria) fraus quoque pro tutamine habeatur.

31. Et is quidem sibi ipsi miraculo est, ejusque amici affatim rident, dum in iis quoque, quæ vel aperte rejecit, vel arte excusavit, tam sui studiosos repererit defensores, quorum tamen studiis veritas prævalebit.

32. Extra quatuor illos & triginta articulos sunt alii infandi, & probrosi, quos tum attingere nollemus reveriti aures christianæ plebis. Sed nec ea prætermisit auctor, & actus naturali rerum cursu parti superiori semper tribuendos, per obsessionis ac possessionis Sup. sect. 2. cap. 2. & 3.

spe-

speciem eidem subtractos innuit, miris verborum ambagibus.

33. Hæc itaque nos tacere prohibet christiana sinceritas: quæ si ut hominibus placeremus dissimulare, aut emollire niteremur, læsæ veritatis reos, ac periculorum ecclesiæ immemores, cum horrore, & tremore ad Christi tribunal stare oporteret.

INDICULUS
LOCORUM,
qui in hoc opere pertractantur.

Dum hæc scribimus, & prælo damus, ab illustrissimo Cameracensi nova multa prodibant, quæ nos ab operis instituti ratione sæpe revocatos, ad alia tractanda compellerent, & interrumperent operarum cursum. Quo factum est, ut extra ordinem, ac velut alieno loco spargerentur quædam, quæ in eumdem melius conferrentur: quod etiam a nobis alibi annotatum. Hæc igitur, & alia ejusdem argumenti, quacumque de causa hinc inde dispersa sint, ad lectoris commodum sub suo quæque titulo, velut indicis loco colligenda esse duximus. Ac primum de auctoribus.

Sch. in tut. n. 286.

Ex evangelicis, apostolicisque scripturis; de diligendi causis, sive motivis. *Sch. in tut. n. 4. prop. 8. 9. 15. 16. 19. 20. 21. 22. 34. 35. Quiet. red. sect. 7. cap. 2. n. 27. 28.*

De his Pauli verbis *cupio dissolvi*, & ex caritate prolatis: *Sch. in tut. n. 78. 79. 80.*

Item

Item ex iisdem scripturis de præveniendo Deo, ac de conatu proprio, & de proprietate liberi arbitrii: *Myst. in tut. n.* 124. 136. ubi idem asseritur ex traditione patrum, *n.* 120. *& seq.*

Ex Conc. Tridentino de caritate, deque amandi causis: *Myst. in tut. n.* 179. 180. 181. &c. *Sch. in tut. n.* 141. 142. *Quiet. red. sect.* 4. *cap.* 6. *n.* 2. 3. 4. 5.

Jam ad patres: de beatitudine, & amandi caussis, sive incentivis: Ambrosius: *Sch. in tut. n.* 4. *prop.* 3. *item n.* 137. *item n.* 263. ad 266.

Item de amandi causis, sanctorum Gregorii Nazianzeni, Augustini, Cassiani, ac Thomæ Aquinatis: *Sch. in tut. n.* 100. 101. 102. 103.

Augustinus de necessario amore beatitudinis, deque utendo aut fruendo. *Sch. in tut. n.* 4. *prop.* 36. *n.* 8. *it. n.* 109. *ad* 113. Item de amore sui: *n.* 115. *it. n.* 227. *ad* 234. *it. a n.* 287. *ad* 292. haud minus purus amor ab Aug. agnitus, *n.* 294. *ad* 299.

De sancto Bernardo, ac duabus amandi causis: *Myst. in tut. n.* 126. *Sch. in tut. n.* 4. *prop.* 33. 34. *it. n.* 155. *ad* 163. *it. n.* 328. *ad* 336.

De Magistro: *Sch. in tut. n.* 8.

De Alberto magno: *Sch. in tut. n.* 337. *ad* 343.

De sancto Thoma, sive de objecto caritatis, & amore beatitudinis sive naturalis sive supernaturalis: ac de natura, & objecto voluntatis: *Sch. in tut. n.* 8. *ad* 19. *it. n.* 22. *ad* 27. *it. n.* 35. *ad* 63. *it. n.* 84. 85. *it. n.* 103. *n.* 121. 129. 130. *it.* 244. *ad* 252. Item de peccato veniali, deque inclinatione ad Deum vel habitu, vel actu: *n.* 172. *ad* 176.

De

De Scoto & Suare: *Sch. in tut. n.* 87. 88. 89. 127.

De conciliatione scholæ Thomisticæ cum Scotistica: *Sch. in tut. n.* 83. 84.

De sancto Bonaventura: *Sch. in tut. n.* 63. ad 80. *it. n.* 117. 305. *ad* 312.

De ceteris Scholasticis, Durando, Gabriele, Majore: *Quiet. red. sect.* 5. *cap.* 3. *n.* 8.

De Mysticis circa amoris praxim: *Sch. in tut. n.* 90. 91.

Ex libro de Imitatione Christi: *Myst. in tut. n.* 226. *ad* 241. *ubi* de proprietate.

De sancta Theresia: *Myst. in tut.* 1. *Parte fere tota* 2. *Parte n.* 177. *ad* 206.

De beato Joanne a Cruce, deque appetitu beatitudinis, ac spirituali avaritia: *Mist. in tut. n.* 209. *ad* 216.

De sancto Francisco Salesio, deque resignatione, atque indifferentia: *Myst. in tut. n.* 216. *ad* 225. *Sch. in tut. n.* 150. 151. 152.

De ipso Cameracensi circa amorem beatitudinis: *Sch. in tut. n.* 27. *ad* 34. *it. n.* 45. 95. 322. 323. &c. ille amor cæcus, repugnantibus sanctis Aug. & Thoma *n.* 292.

De salute immolanda, ac de sacrificio absoluto Cameracensis errores: *Quiet. red. sect.* 1. *tota*.

Ejusdem de salutis desiderio: *Sch. in tut. n.* 253. *ad* 266. *Quiet. red. sect.* 4. & 5.

De propudiis morum, ac de tentationibus extraordinarii generis: *Quiet. red. sect.* 2.

De virtutibus: *sect.* 3.

De falso amore puro, deque male posito quæstionis statu: *sect.* 4. *cap. præsertim* 6. *p.* 372.

Jam

Jam ad res. De mercede æterna purum amorem istigante, & excitante: *Myst. in tut.* 179. 180. 182. *it. n.* 203. *ad* 216. *Sch. in tut. n.* 218. *ad* 227. *vid.* sub titulis sancti Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, Suaris, & aliorum Scholasticorum, & Mysticorum.

De suppositionibus impossibilibus, & earum merito: *Myst. in tut. n.* 190. *ad* 198. *it. n.* 242. *Sch. in tut. quæst.* 12. *tota*, *n.* 187. 188. *it. n.* 345. *Quiet. red. sect.* 1. de his variæ interpretationes Gregorii Nazianzeni, & Chrysostomi: *Sch. in tut. n.* 240. 241. 242. in his suppositionibus sanctorum securitas ex Aug. & Chrys. *n.* 195. 196. 197. *Quiet. red. sect.* 5. *cap.* 2. *p.* 379.

De sacrificio absoluto salutis æternæ: *Quiet. red. sect.* 1.

De piis excessibus, & amatoria insania: *Sch. in tut. n.* 145. 243. 244. 245.

De desiderio generali omnium voluntatum Dei etiam latentium: *Quiet. red. sect.* 1. *cap.* 6. *n.* 1. *p.* 349. *sect.* 5. *c.* 9. *n.* 1. *& seq. p.* 395.

De amore essentialiter unitivo: *Sch. in tut. n.* 95. 147. 148.

De caritate, ut est amor mutuus: ubi de amore Dei ut amici, ut sponsi &c. *Sch. in tut. n.* 147. *ad* 154. de fruendo & utendo, deque amore sui: *Sch. in tut. n.* 109. &c. 113. &c. *Quiet. red. sect.* 5. *c.* 8. *p.* 392. *& seq.*

De voluntate explicita, & implicita beatitudinis: *Sch. in tut. n.* 4. *prop.* 6. *it. n.* 18. *ad* 22. *it. n.* 33.

De reflexis actibus non quidem abjiciendis Quietistarum ritu; sed, quod æquivalet, ad inferiorem

ani-

animi partem ablegandis: *Myst. in tut. n.* 127. *it. n.* 141. 142. 143. *Quiet. red. sect.* 6. *c.* 4. *p.* 410. *& seq.* ubi de separatione partium animi, *n.* 3. 4. 5. *it. c.* 5. *n.* 4. *p.* 413.

De contemplatione, & de Christo ab ea prohibito: *Myst. in tut.* 1. *p. art.* 3. *toto*, *a n.* 144. *Quiet. red. sect.* 6. *c.* 1. 2. 3. ubi de actu universali, ac perpetuo: *Propos.* 16. 17. *p.* 399. 409. radix erroris: *sect.* 5. *c.* 9. *p.* 395. *& seq.*

De fanatismo, sive de impulsibus, & instinctibus extraordinariis: *Myst. in tut. n.* 127. 128. *ad* 145. *Quiet. red. sect.* 6. *c.* 5. *p.* 412.

De actibus conatus proprii male reprehensis: *Myst. in tut.* 1. *p. art.* 2. *toto a n.* 116. ubi de proprio, deque patrum, atque Augustini sensu, *n.* 120. *ad* 128. *Quiet. red. sect.* 6. *c.* 5. *n.* 12. 13. *p.* 416.

Quod perfectio in extraordinariis orationibus collocanda non sit: *Myst. in tut. n.* 39. *ad* 52. *it. n.* 112. 113. 114. 115.

De amore qui est passio, non perfectio, aut virtus. *Myst. in tut. n.* 88.

De perfectione omnibus proposita: *Myst. in tut. n.* 200. 201. 202. ubi de actibus a caritate imperatis: *item Quiet. red. sect.* 6. *c.* 6. *n.* 5. *p.* 418.

Quod oratio quietis, sive simplicis intuitus, sive passiva, & contemplativa beatorum Theresiæ, Salesii, Joannis a Cruce, Balthasaris Alvarez, & aliorum proborum postremi ævi mysticorum, constituta sit in impedimento divino vero ac reali; ex quo oritur impotentia, suspensis a discursu præsertim animi facultatibus, ac sublatis actibus conatus proprii:

prii: *Myst. in tut.* 1. *p. art.* 1. *&* 2. *a. n.* 1. *ad n.* 5. *&* *a* 216. *ad* 143. ubi Cameracensis soli ipsi contrarius demonstratur. n. 67.

De ea impotentia habes uno verbo ex sanctis Ther. & Jo. a Cruce: quod in ea oratione anima, nec si velit, meditari possit. n. 173.

Quatenus extases, & extraordinaria quævis ab eadem oratione amovenda: ex sancta Theresia: *n.* 73. 78. *ad* 84. ex beato Joanne a Cruce: *n.* 74. 84. *ad* 87. ex Balthasare Alvarez ac Ludovico a Ponte. *n.* 34. 38. 87.

Hic diligenter notandum, orationem passivam, sive contemplationis, ab iisdem auctoribus discursivæ, sive meditativæ orationi oppositam, eamdem omnino esse, a qua extases, & omnia extraordinaria amoveant: *ibid. a n.* 1. *ad* 73. quo sensu habes ex Joanne a Cruce. *n.* 84. 85. 86. 87.

Hinc infer quam sibi quidam mystici verba dari a D. Cameracensi passi sint: cum se pro defensore proborum mysticorum venditet, a quibus toto distat systemate: *Myst. in tut. n.* 93. 94. 95. 96. auctore nullo a se allato: *n.* 68. 98. verum etiam illis notam temeritatis & fanatismi inurit: *n.* 56. 57. 58. *ad n.* 61. *it. n.* 89. *ad* 91. Ibid. de tribus celeberrimis notis transitus ad contemplationem D. Cameracensis errores, & a piis mysticis aperta discessio. *n.* 15. *& seq. n.* 23. *n.* 37. *n.* 68. 69. *ad* 72.

De extasibus, & quatenus differant a suspensis animi facultatibus, habes: *Myst. in tut. a n.* 69. *ad* 89. *it. a* 107. *ad* 116. ubi de traditione horum statuum.

De falsa Philosophia a D. Cameracensi scholæ imputata: *Myst. in tut. n.* 52. *& seq.*

De amore sive affectu naturali D. Cameracensis: *Myst. in tut. n.* 177. 178. 184. *ad* 189. *it. n.* 199. *Sch. in tut. n.* 267. *ad* 286. *Quiet. red. sect.* 4. *c.* 3. *p.* 367. &c.

De quatuor erroribus Quietismo additis: *Quiet. red. sect. 6. c. 6. p.* 417.

Notandus ibi error 2. sive *prop.* 68. quod amor puræ concupiscentiæ, licet sacrilegus, ad justificationem præparet. Quod autem se excusat auctor, quia præparationem illam in removendis cupiditatum obicibus collocet, duo peccat: primum, quod æquet sacrilegum affectum pio motui timoris a Spiritu Sancto profecti, cujus vis in eo est, quod obicem removeat: deinde, quod peccata in censum præparationum referre cogeretur; cum iis & sæpe, teste Augustino, alia peccata vincantur, & pessimum superbiæ vitium retundatur.

De recollectis D. Cameracensis erroribus: *Myst. in tut. n.* 172. *ad* 177. *Sch. in tut. n.* 186. *it. n.* 236. 237. 238. *it. n.* 348. *Quiet. red. sect.* 7. *tota.*

Summa rerum. Resurgit Quietismus toto orbe terrarum; alibi crassius, alibi mitius, eoque periculosius incrustatus. Huic nomina mille, mille nocendi artes. Si valido ictu semel amputetur, ejusque radix, dogmata, & quæcumque species obtruncentur, pax ecclesiæ: si molli & levi manu, quod absit, tunditur, recrudescet, & sero nimis tanto morbo salutares curas adhibueris.

Fine del Tomo III. Contro i Quietisti.

IN-

INDEX

DE NOVA QUÆSTIONE TRACTATUS TRES.

I. Mystici in tuto. II. Schola in Tuto.
III. Quietismus Redivivus.

ADMONITIO. Pag. 5

MYSTICI IN TUTO,

Sive de s. Theresia, de B. Joanne a Cruce, aliisque piis mysticis vindicandis. 6

PARS PRIMA.

Mystici palam oppugnati a Domino Cameracensi.

ARTICULUS PRIMUS.

De suspensis animi facultatibus sive potentiis per impedimenta divina.

Cap. I. *S. Theresiæ oratio quietis & unionis, suspenso intellectu.* 7
Cap. II. *Eam suspensionem non esse perpetuam, & esse supernaturalem: quo sensu.* 9
Cap. III. *Item de suspensione per intervalla tantum, & de oratione vocali, aliisque suspensionibus.* 10
Cap. IV. *De eodem: ac de obice amovendo.* ibi.
Cap. V. *De orandi impotentia, & gratiis communibus.* 11
Cap. VI. *De interveniente extasi, & cursu orationis consueto, & habituali.* 12
Cap. VII. *De rapidis motibus, eorumque momentis.* ibi.
Cap. VIII. *B. Joannis a Cruce conformis sententia.* 13
Cap. IX. *Testimonium Nicolai a Jesu Maria, Lectoris in Theologia in Collegio Salamanticensi.* 16
Cap. X. *De impedimentis divinis per modum purgationis, aut perfectissimæ contemplationis: egregia doctrina B. Joannis a Cruce.* 17

Cap. XI. *De Sancto Francisco Salesio, ac venerabili Matre Joanna Fremyotta Domina de Chantal.* 18
Cap. XII. *De P. Baltazare Alvare & P. Ludovico a Ponte.* 20
Cap. XIII. *De Gersone, & Jacobo Alvare Paz, aliisque recensentibus orationem quietis inter gratias gratis datas.* 23
Cap. XIV. *Primum Corollarium: quod falsum sit, in ea oratione perfectionem collocandam, & quod sine ea comparari non possit ex Sancto Salesio, ac s. Theresia.* 24
Cap. XV. *Alterum Corollarium: quod justificationis gratia ab his orationis donis separetur: Beatæ Theresiæ, & P. Joannis a Jesu testimonium.* 25
Cap. XVI. *His directe opposita D. Cameracensis verba; deque philosophia scholæ, in quam culpam conjicit.* 27
Cap. XVII. *Nota temeritatis inusta piis sanctisque mysticis, s. Theresiæ, &c.* 28
Cap. XVIII. *Iisdem sanctis mysticis imputatur fanatismus.* 29
Cap. XIX. *Quid ad hæc reposuerit auctor.* 30
Cap. XX. *Aliæ Responsiones.* 31
Cap. XXI. *D. Cameracensis sibi ipsi contrarius.* 32
Cap. XXII. *D. Cameracensis responsio circa tres notas transitus ad contemplationem.* 33
Cap. XXIII. *Grande illius notæ suppressæ incommodum male a D. Camerac. propulsatum.* 34
Cap. XXIV. *D. Cameracensis objectiones, sive argumenta quinque.* 35
Cap. XXV. *Responsio ad primum ex s. Theresia sumptum.* 36
Cap. XXVI. *Ad alia objecta respondetur.* 38
Cap. XXVII. *De amore illo, qui ab oratione passiva inseparabilis videatur, quæstiuncula.* 40
Cap. XXVIII. *De Fanatismo. Auctoris insignis error.* 41
Cap. XXIX. *Quod auctor a sanctis spiritualibus toto systemate discrepet.* 43
Appendix *ad primum articulum ex Dissertatione D. Cameracensis.* 45
Cap. XXX. *In sua Dissertatione D. Cameracensis nullum affert suæ sententiæ auctorem.* ibi.

AR-

ARTICULUS II.

De actibus conatus proprii.

Cap. I. *Sanctorum spiritualium doctrina recolitur*, 53
Cap. II. *Auctoris loci de conatu proprio*. ibi.
Cap. III. *In hoc loco aperta hæresis, & sanctis imputatur, & ab auctore defenditur*. 54
Cap. IV. *De proprio: varii sensus: vis liberi arbitrii*. 55
Cap. V. *Sancti Bernardi locus: D. Cameracensis manifestus error*. 57
Cap. VI. *Proprietas sanctorum spiritualium malè explosa*. 58
Cap. VII. *Auctoris effugia: inspiratio communis verbo tantum agnita: gratia actualis D. Cameracensi quid sit*. 60
Cap. VIII. *De Deo præveniendo*. 61
Cap. IX. *De actibus reflexis ad instinctum fanaticum ablegatis*. 63
Cap. X. *De præcepti casu*. 64

ARTICULUS III.

De contemplatione: ibi quòque fanatismus.

Cap. I. *De transitu ad purum amorem*. 66.
Cap. II. *Vitilitigationes auctoris: male allegati Patres*. ibi.
Cap. III. *De contemplatione Christi: ac personarum, attributorumque divinorum*. 68
Cap. IV. *Præsulis sententia, & cavillationes*. 69
Cap. V. *De Christo subtracto perfectis animabus: auctoris effugia*. 72
Cap. VI. *De duobus casibus, quibus Christus subtrahatur: auctoris labor & ludibria*. 74
Cap. VII. *S. Theresiæ, & B. Joannis a Cruce clara sententia*. 75
Cap. VIII. *Conclusio. & recapitulatio hujus primæ partis*. 78

PARS SECUNDA,

In qua solvuntur spiritualium auctoritates a D. Cameracensi objectæ.

Cap. I. *Primus locus ex s. Theresia*. 80

Cap. II. *De affectu naturali.* 81
Cap. III. *Quod ille affectus naturalis ex ipso Autore sit inutilis.* 82
Cap. IV. *Secundus locus s. Theresiæ.* 83
Cap. V. *De suppositionibus impossibilibus: auctoris manifestæ calumniæ.* 84
Cap. VI. *Tertius sanctæ Theresiæ locus: hujus vis auctori ignorata.* 86
Cap. VII. *Verus sensus s. Theresiæ ex ipsa stabilitus.* 88
Cap. VIII. *De B. Joanne a Cruce.* 89
Cap. IX. *Locus ejus auctoris a D. Cameracensi prolatus: deque proprietate.* 91
Cap. X. *De s. Francisco Salesio locus decretorius.* 92
Cap. XI. *Sancto Francisco Salesio imponitur circa resignationem & indifferentiam.* 94
Cap. XII. *De proprietate ex libro de Imitatione Christi.* 95
Cap. XIII. *Alius locus.* 96
Cap. XIV. *De proprietate secundum sensum pii auctoris.* 97
Cap. XV. *Alii loci, & de abnegatione, vel amore naturali sui.* 98
Cap. XVI. *De amore beatitudinis, pii auctoris sensus.* 99
Cap. XVII. *De motibus naturæ & gratiæ.* 100
Cap. XVIII. *De imperfectionibus.* 101
Cap. XIX. *Quod nemini fraudi sint suppositiones impossibiles: quis in iis auctoris peculiaris error. Conclusio.* ibi.

SCHOLA IN TUTO:

Sive de notione Caritatis, & amore puro.

PROLOGUS.

Quo falso imputata nobis, & hujusmodi Operis causa indicantur. 103

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ a nobis tuenda suscepta sint.

Art. I. *Ea xxxvi. propositionibus comprehensa.* 105
Art. II. *Summa propositionum.* 111

QUÆSTIO II.

De amore naturali beatitudinis, ad prop. 1, & seq. usque ad 7.

Art. I. *Unde depromantur doctorum testimonia; imprimis s. Thomæ.* 112
Art. II. *De natura intellectuali in genere idem statuitur.* 113
Art. III. *De natura voluntatis humanæ.* 114
Art. IV. *Dictorum radix & fons.* 116
Art. V. *Estius, & Silvius producuntur.* ibi.
Art. VI. *De personato Lovaniensi.* 118
Art. VII. *Ex his error gravissimus circa beatitudinem.* 119
Art. VIII. *S. Thomas sub nomine Meldensis vapulat.* 121
Art. IX. *Quod D. Cameracensis sibi ipsi adversetur; & de necessario appetitu beatitudinis.* 122
Art. X. *Summa dictorum in hac quæst. 2.* 125

QUÆSTIO III.

De amore supernaturalis beatitudinis, quatenus spectat ad caritatem: ad n. 4. prop. 7. & 8.

Art. I. *Sententia sancti Thomæ.* 126
Art. II. *Quæ hic mihi imponantur.* 129
Art. III. *Quid ad sanctum Thomam reponatur.* ibi.
Art. IV. *Quæstiunculæ de desiderio unionis in amore caritatis.* 131
Art. V. *Fictus Lovaniensis aperte sancti Thomæ auctoritatem eludit.* 132
Art. VI. *De sancto Bonaventura.* 134

Art. VII. *Responsio præsulis.* 136
Art. VIII. *Alius locus ab auctore prolatus ejus responsionem confutat.* 137
Art. IX. *Alii loci: ubi de summo bono, & de fine ultimo, deque fruitione.* 138
Art. X. *De illis verbis Pauli:* cupio dissolvi &c. *ex ss. Thoma & Bonaventura ad n. 4. prop. 8.* 141

QUÆSTIO IV.

De secundariis rationibus objectivis caritatis: ad n. 4. prop. 22. 25. & seq.

Art. I. *Ratio ac divisio dicendorum.* 142
Art. II. *Scoti loci proferuntur.* ibi.
Art. III. *Doctoris angelici & doctoris subtilis in summa doctrinæ conciliatio.* 144
Art. IV. *Sancti Thomæ loci ad conciliationem apti.* 145
Art. V. *Verba quædam Scoti objecta, & ex ipso exposita.* 146
Art. VI. *Aliis Scoti locis hæc doctrina firmatur.* 147
Art. VII. *Praxis mysticorum.* 148
Art. VIII. *Quid præsul sentiat de secundariis objectivis rationibus caritatis.* 149

QUÆSTIO V.

De illa clausula, *nullo respectu ad nos:* ad propos. 17. & 18.

Art. I. *Nostræ propositiones probantur ex concessis a D. Camerac. ejus sententia de natura unitiva amoris.* 151
Art. II. *Aliud concessum de Deo benevolo, & benefico.* 152
Art. III. *Quo sensu beneficentia in absolutum vertat.* ibi.
Art. IV. *De divinis beneficiis, ut sunt utilia nobis.* 153
Art. V. *Loci ss. Augustini, & Grégorii Nazianzeni.* 154
Art. VI. *Cassiani locus.* 155

Art.

Art. VII. *Locus sancti Thomæ solutus.* ibi.
Art. VIII. *Quæ doctrina sit nugatoria, nostra an auctoris.* 156
Art. IX. *De motivo primario, & secundario inter se comparatis: ad prop. 28. & seq.* ibi.
Art. X. *Locus Silvii.* 157
Art. XI. *An igitur hæc controversia in tenui versetur.* 158

QUÆSTIO VI.

De definitione caritatis ex sancto Augustino, deque fruitione ac de amore sui agitur ex concessis: *ad prop.* 36.

Art. I. *Profertur definitio caritatis ex s. Augustino.* 159
Art. II. *Quid reponat auctor: prima responsio sanctis Augustino, & Thomæ palam imponit.* 160
Art. III. *De ipso frui, quid auctor sentiat.* ibi.
Art. IV. *Sancti Augustini expressa verba.* 161
Art. V. *De amore sui quid D. Cameracensis concesserit.* 162
Art. VI. *Amor sui; ut sibi bene sit, ad veram caritatem pertinet, teste Augustino.* 163
Art. VII. *Consensus Scholæ: s. Bonaventuræ locus.* ibi.
Art. VIII. *Auctor nihil aliud agit, quam ut ab ipsa quæstione oculos lectoris avertat, & vana congerat.* 164

QUÆSTIO VII.

De natura spei, & gratitudinis, deque objectionibus inde repetitis.

Art. I. *De differentia spei, & caritatis.* 165
Art. II. *An caritas mercenaria æque ac spes.* 166
Art. III. *Præsul in id quod objicit incidit: ut spem facit non mercenariam.* 167
Art. IV. *De amore gratitudinis.* 168
Art. V. *Suarezii & aliorum loci.* ibi.
Art. VI. *De spei imperfectione ex sancto Thoma auctoris objectio.* 169

Art.

Art. VII. *Quomodo ex sancto Thoma caritas non vult, ut sibi ex Deo proveniat quidquam.* 170
Art. VIII. *Auctoris errores detecti ex antedictis.* ibi.

QUÆSTIO VIII.

De falso imputatis.

Art. I. *Auctor involvit quæstionem multis falso imputatis.* 171
Art. II. *Primum falso imputatum.* ibi.
Art. III. *Aliud imputatum rursus oculos a statu quæstionis avertit.* 172
Art. IV. *Aliud imputatum: de beatitudine ut solo caritatis motivo.* 173
Art. V. *Aliud imputatum de objecto secundario.* 174
Art. VI. *De incentivi vocabulo respectu beatitudinis; loci Ambrosii.* ibi.
Art. VII. *Aliud imputatum de contritionis actu.* 175
Art. VIII. *Doctrina concilii Tridentini de incipiente amore domino Cameracensi adversatur.* 176
Art. IX. *De formula consueta contritionis.* 177
Art. X. *Aliud de catechismo Romano falso imputatum.* ibi.
Art. XI. *Alia imposita nobis per apertam calumniam.* 178

QUÆSTIO IX.

De caritate, ut est amor mutuus.

Art. I. *De amore Dei ut amici.* ibi.
Art. II. *D. Cameracensis de Francisco Salesio cavillationes.* 180
Art. III. *Idem me testem afferens; objectionem meam pro solutione sumit.* 181
Art. IV. *De amore sponsæ erga sponsum.* 182

QUÆSTIO X.

De sancto Bernardo: ad n. 4. prop. 23.

Art. Unicus. *Occasione amoris sponsæ erga sponsum, de beato Bernardo quæritur.* ibi.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

De amore quarti & quinti gradus: primi & secundi auctoris errores.

Art. I. *Utriusque amoris definitio ex auctore.* 185
Art. II. *Dicta auctoris.* 186
Art. III. *Primus auctoris error.* 187
Art. IV. *D. Cameracensis responsio, & secundus error.* 188
Art. V. *Præsul imponit s. Thomæ.* ibi.
Art. VI. *Ex concessis ab auctore contra ipsum infertur, quod omnis justus Deum anteponat sibi.* 190
Art. VII. *Quod amor quinti gradus, sive purus, ab auctore dicatur inaccessus plerisque justorum.* 191
Art. VIII. *Conclusio: de toto libro ab ipsis initiis sponte collapso.* 194
Art. IX. *Summa errorum, qui in hac quæstione demonstrantur.* ibi.

QUÆSTIO XII. BIPARTITA.

De locis Exod, XXXII. 32. & Rom. IX. 3. ac de suppositionibus impossibilibus.

PRIMA PARS QUÆSTIONIS,

Qua auctoris argumenta referuntur, & confutantur.

Art. I. *Tria absurda mihi imputata.* 195
Art. II. *Una quæstiuncula res tota dirimitur, Augustino, & Chrysostomo testibus.* 197
Art. III. *Hujus rei consecutiones.* 199
Art. IV. *Quæstiones auctoris præciduntur, ab iisque deducta (n. 191.) duo prima objecta solvuntur.* 200
Art. V. *De falsis quibusdam auctoris suppositionibus per antecedentia dissolutis: deque absoluta abstractione a beatitudine penitus impossibili.* 203
Art. VI. *Ex modis impossibilia supponendi antecedentia demonstrantur.* 205
Art. VII. *De modo enuntiandi auctoris ipsius.* 207
Art. VIII. *An Deus revera tantumdem amaretur, si se amari nesciret.* 208

Art. IX. *An verum sit illud*: non auget amorem Dei beatifici visio, n. 217. ibi.
Art. X. *An in istis tantus sit labor, quantum auctor fingit*. 210

ALTERA PARS QUÆSTIONIS

Adversus auctoris errores in prima parte explicatos.

Art. XI. *Primus error: de actibus separatis a motivo beatitudinis: sancti Augustini decreta; seu principia quatuor*. 211
Art. XII. *Alii errores de sacrificiis, sive conditionatis, sive absolutis*. 214
Art. XIII. *De sancti Chrysostomi, & aliorum Patrum sententiis auctori oppositis*. 215
Art. XIV. *De incommodis*. 216

QUÆSTIO XIII.

De fine ultimo uno, & de summo bono.

Art. I. *Finem ultimum esse unum: ad n. 4. prop. 3.* 218
Art. II. *De ratione boni, s. Thomæ doctrina*. 219
Art. III. *Ex his D. Cameracensis confutatio, & radicalis explicatio definitionis caritatis*. 220

QUÆSTIO XIV.

De spe ac salutis desiderio auctoris errores.

Art. I. *Errores libri de doctrina sanctorum*. 221
Art. II. *De supprimendis salutis desideriis: Chrysostomi, & Ambrosii loci ab auctore allati*. 224
Art. III. *De his D. Cameracensis verba*. 225
Art. IV. *De loco B. Chrysostomi*. ibi.
Art. V. *Expenditur s. Ambrosius*. 226
Art. VI. *Abrahami merces secundum Ambrosium*. 228
Art. VII. *Conclusio ex dictis*. 229

QUÆSTIO XV.

De amore naturali sui, quem auctor inducit.

Art. I. *Hujus definitio, & usus.* ibi.
Art. II. *An probatio ejus amoris in sancto Thoma, & Estio valeat.* 230
Art. III. *Dionysii Cartusiani locus.* 232
Art. IV. *Loci sancti Bonaventuræ de affectu naturali.* ibi.
Art. V. *Ex his contra librum absoluta conclusio.* 234
Art. VI. *Quod ille amor sit inutilis ex confesso.* 235
Art. VII. *De commodo proprio æterno.* ibi.
Art. VIII. *Aliud argumentum contra amorem naturalem.* ibi.

QUÆSTIO XVI. ET ULTIMA.

De recapitulatione dictorum.

Art. I. *Admonitio de dicendis.* 237
Art. II. *Summa doctrinæ a s. Augustino traditæ de beatitudine.* 238
Art. III. *Pro certo supponitur, caritatem esse motum ad fruendum Deo.* 239
Art. IV. *Purus amor haud minus ab Augustino agnitus.* ibi.
Art. V. *De Magistro, & de sancto Thoma.* 241
Art. VI. *De s. Bonaventura.* 242
Art. VII. *Aliud ex eodem s. Bonaventura: & de amore sui per caritatem.* 243
Art. VIII. *De eodem.* 244
Art. IX. *Corollarium ex ss. Thoma, & Bonaventura de Paulo desiderante Christum.* 245
Art. X. *De Scoto.* ibi.
Art. XI. *Praxis ex dictis: consensus mysticorum.* 246
Art. XII. *Estius, Silvius, Suarez: ex his conclusio.* ibi.
Art. XIII. *Falso imputata nobis circa clausulam:* nullo respectu ad nos. 247
Art. XIV. *De eadem clausula,* nullo respectu ad nos, *concessa ab auctore proferuntur: primum concessum de amore unitivo.* 248

Art.

Art. XV. *Secundum concessum de Deo ut benefico: auctoris contradictiones.* ibi.
Art. XVI. *Tertium concessum, de amore sui, & de necessario appetitu beatitudinis.* ibi.
Art. XVII. *De amore Dei ut amici, & ut sponsi.* 249
Art. XVIII. *De s. Bernardo: novus locus ab auctore productus & truncatus.* 250
Art. XIX. *De excluso ab auctore salutis desiderio.* 252
Art. XX. *De amore naturali: Alberti Magni auctoritas.* 253
Art. XXI. *De piis excessibus.* 255
Art. XXII. *Futiles quæstiones.* 256
Art. XXIII. *De primariis, & secundariis rationibus objectivis caritatis.* 257
Art. XXIV. *Errores in hoc libello notati recensentur.* ibi.

QUIETISMUS REDIVIVUS.

ADMONITIO PRÆVIA *de Summa Quæstionis, ac de variis libri defensoribus.* 261

SECTIO PRIMA.

Primus error Quietistarum de cura ac desiderio salutis, aliisque connexis.

Cap. I. *Molinosi & aliorum loci.* 277
Cap. II. *Domini Cameracensis loci, sive propositiones circa abdicationem, & immolationem salutis æternæ.* 279
Cap. III. *Solutis auctoris responsionibus amplius manifestatur error: responsio prima auctoris ducta ex articulis Issiacensibus.* 284
Cap. IV. *Altera responsio auctoris repetita ex vita s. Francisci Salesii, prout a me refertur, ac de responso mortis.* 286
Cap. V. *Alia responsio Cameracensis repetita ex falsis articulis, quibus idem antistes Molinosum damnat.* 287
Cap. VI. *His propositionibus totus liber continetur.* 288

SE.

SECTIO II.

Secundus error de probris in absoluto sacrificio involutis, deque distractione partium animæ per actus directos ac reflexos, ac de tentationibus novi generis.

Cap. I. *De probris, ac propudiis morum.* 289
Cap. II. *De tentationibus extraordinariis.* 291
Cap. III. *Hæc apta ad tuendam Guyoniam.* 294

SECTIO III.

Tertius error de virtutibus.

Cap. I. *Molinosi, & Guyoniæ errores.* 297
Cap. II. *His consonæ D. Cameracensis propositiones.* ibi.
Cap. III. *His apostolica doctrina paucis opponitur.* 300

SECTIO IV.

Quartus error de quinque amoribus, deque falso amore puro.

Cap. I. *Quæstio, an quinque amores ab auctore definiti, sint actus vel status.* 301
Cap. II. *De tertio amore, sive de amore spei: auctoris errores.* 302
Cap. III. *In duas propositiones præcedentes notæ contra amorem naturalem auctoris, ac novam motivi significationem.* 303
Cap. IV. *De quarto amore.* 304
Cap. V. *De quinto amore, sive puro D. Cameracensis æquivocationes.* 306
Cap. VI. *Ex his status quæstionis.* 307
Cap. VII. *Doctrinæ præcedenti aptæ auctoris propositiones contrariæ Apostolo & concil. Trident.* 308
Cap. VIII. *Alia propositio ad eundem finem spectans.* 310

SECTIO V.

Aliæ propositiones ad eundem finem spectantes ex articulis libri D. Cameracensis.

Cap. I. *Ex articulo secundo demonstratur separari virtutem movendi sive excitandi, ab æterna salute.* 312

Cap. II. *Ex his solutio locorum Patrum: Sanctorum securitas: his congruunt Scholastici.* 314
Cap. III. *Idem probatur & art. 3.* 317
Cap. IV. *Idem conficitur ex articulo quarto.* 318
Cap. V. *Ex art. 5. ubi de resignatione, & indifferentia ex s. Francisco Salesio.* 320
Cap. VI. *Aliud ex eodem cap. 5.* 323
Cap. VII. *Aliud ex art. 16. ubi de proprietate.* 324
Cap. VIII. *Aliud ex art. 12. de amore sui, & an perfectis animabus non alia amandi causa sit quam ipsa Dei voluntas, seclusis motivis proximis.* 325
Cap. IX. *Radix erroris: Guyoniæ dicta.* 327
Cap. X. *Alius locus ex Responsione ad* Summam doctrinæ, *ubi ad* Scholam in tuto *lector remittitur.* 329
Cap. XI. & ultimum. *Dictorum recapitulatio.* ibi.

SECTIO VI.

De aliis erroribus.

Cap. I. *Quintus error ad Quietismum pertinens circa contemplationem: Quietistarum placita.* 330
Cap. II. *D. Cameracensis propositiones circa contemplationem.* 332
Cap. III. *Aliæ propositiones his connexæ & constanteæ.* 335
Cap. IV. *Sextus error de directis & reflexis actibus.* 339
Cap. V. *Septimus error de fanatismo & impulsibus extraordinariis.* 341
Cap. VI. *Quatuor alii errores Molinosismo additi.* 345

COROLLARIUM,

Sive recapitulatio & collectio errorum D. Cameracensis ex 34. articulis Issiacensibus demonstrata.

SECTIO VII. ET ULTIMA.

Cap. I. *Triginta-quatuor articuli recensentur.* 347
Cap. II. *Iidem articuli elusi.* 356

INDICULUS LOCORUM.

Qui in hoc opere pertractantur. 364

FINIS.